der andern den Vorzug streitig mache, überläßt man dem Leser zu beurtheilen.

Je ungerechter dannenhero das Preußische Verfahren gegen den Chur-Sächsischen Hof ist, desto getroster kan sich dieser auf seine gerechte Sache und den Schutz des Allerhöchsten verlassen. Nicht nur dessen Bundes-Genossen, sondern auch alle übrige Reichs-Stände sind Krafft der oben angeführten Stelle aus dem Westphälischen Friedens-Schluß gehalten, ihre Kräffte mit dem beleidigten Theile wider den Aggressorem zu vereinigen, um denjenigen Reichs-Stand, welcher seinen Mit-Gliedern Gesetze vorschreiben will, auf friedfertigere Gedancken zu bringen.

1446) 14837) 4

5.

JOANNIS HENRICI MEIBOMII

MÆCENAS,

SIVE

DE C. CILNII MÆCENATIS

vita, moribus & rebus gestis,

LIBER SINGULARIS.

ACCESSIT

C. PEDONIS ALBINOVANI

Mæcenati scriptum Epicedium,

Notis illustratum.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOHANNEM & DANIELEM ELSEVIER.

cIↃ IↃC LIII.

LVCIANVS IN TOXARI.

Καὶ μὲν δὴ τοὺς τῶν ζώντων ἄμεινον οἰόμεθα πράξειν, μεμνημένοι τῶν ἀρίστων· καὶ τιμῶμεν ἀποθανόντας· ἡγούμεθα γὰρ ἄτως ἂν ἡμῖν πολλοὺς ὁμοίους αὐτοῖς ἐθελῆσαι γενέσθαι.

Existimamus sane nos rem vehementer conducibilem, etiam his qui in vita sunt, esse facturos, si præstantium virorum memoriam celebremus, honoremque habeamus defunctis. Siquidem futurum ita arbitramur, ut multi apud nos illorum similes evadere cupiant.

Reverendissimo, Illustrissimo, Celsissimoque

PRINCIPI AC DOMINO

DNO JOANNI,

ELECTO

LUBECENSIUM EPISCOPO,

HEREDI NORVEGIÆ, DVCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, DITHMARSIÆ, COMITI OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

ROMÆ olim, in urbe Orbis domina, sancte colebatur HERCVLES MVSARVM, seu MVSAGETES, ut Græci vocabant, cui ædem ex pecunia Censoria dedicavit Fulvius Nobilior. Visebatur ille

Fultus nodosæ robore clavæ, Et

Tectus villosi pelle Leonis;

sinistra vero manu adsistentis pone laurus, cui sertiles corollæ erant appensæ, ramum decerpebat, ac citharam Apollinis, haud procul inde positam, idemtidem vultu respiciebat irretorto.

Lepidum profecto commentum, & quod auctorem ſapiat, qui cerebrum in calcaneo non geſſerit. Per fortiſſimum enim Herculis numen, viros intelligi voluit vetuſtas ſeu civili, ſeu bellica virtute præſtantes, qui vel toga, vel ſago ita cluerent, ut ſimul tamen haverent coronam de immortalis lauri virore decerpere, ſummaq; vi & labore niterentur —— *munita tenere*

Edita doctrina ſapientum templa ſerena;
Deſpicere unde alios quirent, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quærere veri:

quique Muſas earumque cultores aſſiduos magnifica liberalitate foverent, eorumque tranquillitatem & ocium ſuo patrocinio defenderent, & ab iſtis viciſſim voce & calamo deprædicari atque æternitati famæ conſecrari deſiderarent. Tale numen, ne alia nunc exempla in medium adferam, ſuo tempore omne genus literatis præſtitit C. CILNIVS MÆCENAS, Divi Auguſti conſiliorum moderator ac familiaris; & patrocinii viciſſim & meriti, communem hominum ſortem prætergreſſi pretium, æternam nominis gloriam, à clientibus reportavit, nomenque ſuum omnibus literarum patronis pro titulo tranſcripſit. Simile numen Tu hodie nobis præſtas, noſtroque ſeculo, Princeps Opt. Max. tuoque merito & *Muſarum*

ſarum Hercules & *Mæcenas* clues. Neque ea id tantum cauſſa, quod ex familia natus ſis, cui, ut literarum cultoribus faveant & bene faciant, pridem in naturam vertit; ſive longa retro ſerie majores Tuos reſpicias; ſive parentem laudatiſſimum felicis memoriæ, JOANNEM ADOLFVM; ſive qui modo cum imperio eſt, Sereniſſimum fratrem FRIDERICVM, Principum literatiſſimum, & literatorum Principem, qui una tecum

—— *ſtudiis imbutus honeſtis,*
Novit ab inſipido doctos ſecernere vulgo,
Iamque diu mutas, ſolitaſque ſilere Camœnas
Incitat ad veterem digna mercede laborem.

Alia eſt & potior cauſa, & quæ propius Te reſpicit, auguſtumque illud nomen Tibi vindicat. Licet enim omnia Tibi abunde ſuppetant, quæ in Principe aut poſſint aut debeant optari; apicem tamen gloriæ Tuæ conſtituit maximus in ſtudiis progreſſus atq; incredibilis in literas literiſq; operantes favor. Itaq; & ipſe ſtudia interrupto amore perſequeris, & totos ſæpe dies in illis tranſigis, nulliſque inſuper parcis ſumptibus, ut illorum, qui iniquioris ſunt fortunæ, paupertatem levando, ſtudia literaſque promotum eas. Novit id Italia, teſtatur Gallia, prædicant vicinæ Academiæ, quæ tuos alumnos & foverunt hactenus, & cul-

tiores tibi ſubinde non paucos remiſerunt. Nec vero ſumptus hic facis, ut ipſe ſaltim habeas, quorum opera in negotiis ſive privis ſive publicis utaris, ſed una tecum & alii. Non negant hoc aliquæ vicinarum aularum, & Tibi gratias agunt, ſibi gratulantur. Verum quo minus prolixius in virtutes Tuas eam, eaſque laudibus proſequar, una earum obſtat, ſumma & incomparabilis modeſtia, in quam peccarem, gloriæque tuæ blandior viderer quam addictior, ſi nimius eſſem. Itaque deſino, & memor gratiæ ac beneficiorum quæ jam per annos duodeviginti & quod excurrit, quibus valitudini Tuæ regendæ præfui, in me contuliſti, ea qua par eſt, ſubmiſſione Tibi conſecro præſens Opuſculum, & offero *Mæcenatem Mæcenati*, literarum & literatorum patronum eorundem patrono ſine pari. Accipe igitur ſis illũ, Principum eruditiſſime, à clientum tuorum minimo & ultimo, ſi merita ſpectes, primo & maximo, ſi affectum: quem reſpiciens, exile munus non aſpernaberis, nec doni ſed animi æſtimatione metieris. Vale, Princeps inclyte, & diu feliciterque publico bono vitam exige. Scribebam Lubecæ, Idibus Decembris, Anno Salvatoris cIↃ IↃC LII.

Reverendiſſimæ & Illuſtriſſimæ Celſit. Tuæ

devotiſſimus cliens

JOAN. HENRICVS MEIBOMIVS.

AD

LECTOREM BENIVOLVM

Præloquium.

DEdimus tibi, amice Lector, ante annos aliquot Commentarium noſtrum in Iusjurandum Hippocratis, & quædam alia, à multis, quantum intelligi datur, non inique accepta. Nunc Mæcenatem *tibi damus, ſive* C. Cilnii Mæcenatis Vitam, *viri ſummi & Muſarum patroni olim maximi, omnibus quidem obiter, nemini ſatis noti. Amare illum occœpi jam inde ab ultimis adoleſcentiæ annis, ex quo Lyricorum Principem à Parente meo* Henrico Meibomio *primum mihi commendatum memini. Itaque & poſtmodum curioſius in ejus vitam moreſque & res geſtas inquiſivi, dumque aliud ago, horiſque ſucciſivis* Hiſtoriam Medicam, *ſeu* Catalogum Medicorum & vitam, *qua haberi poteſt, non ex Medicis tantum, ſed omnis antiquitatis ſcriptoribus conferrumino, in Adverſaria conjeci ea, quæ nunc tecum communicare ſtatui. Parva quidem & levia videantur, & quæ cum aliis contendi nequeant:*

—— ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis
Captus amore leget,

non aſpernabitur prorſus, nec contemptui habebit, ſi præſertim humanioris Muſæ, aut antiquitatis aliquem indeptus fuerit guſtum. Nam qui bonarum literarum ſunt ignari, eos morus eſſem ſi morarer. Nec aliam iſti ob cauſſam talia contemnunt, quam quia in ſe minus eſſe deprehendunt. Mihi volupe

eſt,

est, quicquid à gravioribus curis, quibus distringor, superat temporis, bonorum auctorum lectioni & humaniori contentioni impendere. Ac proinde, quicquid oggánniant,

Οὐ παύσομαι τὰς χάριτας
Μούσαισι συγκατμιγνὺς
Ἡδίσταν συζυγίαν.

Si parva ea ex re ad me gloria, nihil refert, dummodo

Δόξα μοι μήτ' ἀτρεκὴς μήτ' αὖ
Παράσημος ἐνείη.

Quin veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi, Lector, ero.

Cæterum jam ad finem perduxeram Mæcenatem, quum ab amico mihi offertur Historia Vitæ Mæcenatis à Jo. Paullo Martyre Rizo lingua Castiliana descripta. *Hanc ego sine mora avide percurrere, certa animi persuasione, me reperturum in ipsa,*

--- non quod pueri clamitant,
In faba se reperisse:

sed incidisse in scriptorem, à quo vel ea docerer, quæ me forsan latuissent, aut Mæcenati meo fuissent exornando. Sed opido falsus fui. Tantum enim abest, ut Historia illa sit historia, ut parum absit quin prorsus ad fabulas abeat. De Cyri Pædia Xenophontis *Cicero olim dixit*, Cyrum illum non ad historiæ fidem scriptum, sed ad effigiem justi imperii. *De* Xenophonte *ipso Ausonius Poëta ait, quod* ad Cyri virtutes votum potius quam historiam commodarit: quum diceret, non qualis esset, sed qualis esse deberet. *Addit Procopius,* & dexteritatem scribentis, & exuberantem sermonis elegantiam effecisse, ut plus æquo exornatum fuerit opus. *Simile quid, si tamen parva licet componere magnis, de Martyris historia dici posset. Aulicum is describere sub Mæcenatis nomine voluit, rerum suarum satagentem, mutationibus tamen aulæ obnoxium, gratia honoribusque mactum, invidia petitum,*

petitum, aliquando nec frigoris expertem, non ad fidem historiæ, sed exemplum. Eam igitur in rem omnia ὕστερον πρότερον *tractat & confundit,*

Quasi cum una multa jura confundit cocus:

atque, ut cum Horatio loquar,

Ita mentitur, sic veris falsa remiscet,

ut, si rei veritatem spectare volueris,

A primo medium, à medio mox discrepet imum.

Id vero pluribus, si tanti esset, facillimum fuerit ostendere. Nam quis, quæso, Florus *est iste, omni antiquitati ignoratus, qui nobilitate sua & majorum in Rempul. meritis fretus, Galliam sibi gubernandam petiit, & quum spe sua excideret, Mæcenatem calumniatus primum fuerit, mox cum suis in eum conspirarit: quemque deinceps Mæcenas, impetrato ipsi Prætoris officio, placarit atque amicum sibi fidum compararit? Quis* Drusillus leno, *cujus ope & consilio usus fuerit in Mæcenatis Terentia corrumpenda? De scurris Plautus ait, quod*

Sciant quid in aurem Rex Reginæ dixerit:
Sciant quid Juno fabulata sit cum Jove;

de mulieribus Theocritus, quod

Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν.

Sirempse modo Martyr novit quo verborum lenocinio, quibus blanditiis amatoriis Terentiæ animum & pudicitiam in privato & clandestino congressu atque in cubiculo expugnarit. Quid dicam?

--- Veri nihil, omnia ficta.

Quanta vero in rerum gestarum narratione ἀνιστορησία; *qui anachronismi, aut metachronismi? Ex multis pauca tantum notabimus. Mutinensi bello depugnato, Mæcenatem Martyr ait Augusto auctorem fuisse, ut Antonio reconciliaretur. Augustum igitur adsumpto Mæcenate, Virgilio & Horatio adiisse Antonium: cujus assertionis testem advocat Horatium ex lib.* I. *Serm. Sat.* V. *Addit, Antonio delinito Augustum ad Lavini*

Giron-

Girondæ & Rheni confluentiam cum Antonio & Lepido Triumviratum constituisse. Quæ vero hic, DI boni, temporum confusio? Verum quidem est, atque id satis cap. IIX. *ostendimus, Augustum à Senatu ludificatum, quum Cassio & Bruto, D. Iulii interfectoribus imparem se videret, cum Antonio & Lepido fœdus iciisse, & Triumviratum initisse. At non idem tempus hoc fuit, quo Mæcenas Augustum & Antonium, præsentibus Virgilio & Horatio inter se reconciliavit. Triumviratus enim cœpit anno V. C.* DCCXI. *ante bellum Philippense, in quo Horatius, à partibus adhuc Cassii & Bruti militans, captus fuit, & ex intervallo Mæcenati insinuatus. Octo vero annis posterior fuit Augusti & Antonii illa reconciliatio, quam Mæcenas cum Cocceio inter utrumque tentavit, sancito fœdere, quod Brundusinum dictum fuit, cujus Horatius mentionem fecit, eique cum Virgilio interfuit. Non majoris fidei est, quod ait Augustum debellato Antonio, imperioque sibi acquisito, Mæcenatem Italiæ & Romæ præfecisse, ut navatam sibi operam compensaret. Non enim Mæcenatem Augustus Italiæ Romæque præesse ideo jussit, ut meritis ejus gratiam referret; sed ut is porro potius meritis suis ipsum juvaret, atque omnia Romæ in officio & fide ejus retineret. Neque id fecit Augustus Antonio demum devicto, sed pluribus ante annis. Debellato vero Antonio, non Mæcenatem Augustus Vrbi præfecit, sed Consulares, quorum primum fuisse Messallam, ab hoc Statilium Taurum, pluribus cap.* XVI. *notamus. Nolo alia ad obrussam vocare. Mihi religio fuit quicquam de Mæcenate in medium adferre, quod non simul antiquitatis testimonio iverim probatum. Tu, Lector, his fruere &* Historiam *nostram* Medicam, *de qua modo dixi, quæ est de Medicis & rei Medicæ scriptoribus, quantum eorum ab Orbe condito ad annum circiter æræ nostræ* MCCCCL. *innotescere nobis potuit, propediem expecta, atque interea bene vale & feliciter rem gere.*

VIRO

VIRO CLARISS. ET EXCELLENTISSIMO,

JOANNI HENRICO MEIBOMIO
HELMESTADIENSI,
LUBECENSIUM ARCHIATRO.

SI Patriam videas, si magni scripta Parentis,
Et Patris & Patriæ gloria jure tua est.
At tua sic non est, ut nil sibi vindicet alter:
Participat laudes auctor uterque datas.
Res nova: sed miro novitas ab acumine victa est:
Vt soli egregius sic tibi cedat honos.
Scilicet exemplo, quo vinci gaudet uterque:
Sic utinam vincat te tua posteritas.

CASPAR BARTHIVS.

ALIUD.

ACtum est de studiis, dixi sæpissime, nostris,
Vsque adeo Mavors Pallada destituit.
Hem tibi Barbaries, albis invecta quadrigis,
Sublata in cœlum ut gestit ovatque manu!
O Patria, ô dulcis Germania: non tibi porro
Cum Musis forsan res erit & Charisin?
Sed turpis valida dux Ignorantia voce,
Non parvo armatum milite cincta latus,
Templa forumque reget: jus heic qua maxima merces:
Quod fas nescimus, quod volumus facimus.
Sic ego: sed pavidum MEIBOMIVS *abstulit omen:*
MEIBOMIVS *Clarii gloria magna chori.*
Dum veteris Proceres Medicinæ *ab origine prima*
Lustrat & insigni mactat honore viros:

Dum Iusjurandum Coi Senis arte recenſet:
Dum Mæcenatis concinit eulogium.
Da Deus huic longæ felicia licia vitæ;
Annos da celebris caniciemque Patris.
Da Deus, ut multos hæc tempora Mæcenates
Præſtent, excitos laudis honore ſacræ.
Da Deus, optatæ redeant ut tempora pacis,
Et conſtabit honos artibus egregiis.

CASPAR HOFMANNVS
F. A. clɔ Iɔc XLI.

AD EUNDEM.

SIcut apis virides ſaltus & roſcida luſtrans
Tempea, per flores & thyma grata volat,
Sedula ut ambroſio diſtendat nectare ceras:
Sic fama dignus perpete MEIBOMIVS,
Innumera auctorum per Commentaria fertur,
Et varia mentem paſcit alitque dape:
Vnde & Apollineæ mox ſcrinia divitet artis,
Eruat & veterum geſtaque reſque Virum.
Iamque Aſclepiadum Procerum præludit honori
CILNIVS *hic, Tuſcis regibus ortus eques.*
DI tibi dent vires, voveo, dent mollia fata
Magne Vir, & Pylii tempora longa ſenis:
AEgrorum ut curas inter jugeſque labores
Abſolvas tantæ tam bene cœpta operæ.

PAVLVS NEVCRANTZIVS
Med. Doct.

JOAN.

IOAN. HENRICI MEIBOMII
MÆCENAS.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIA.

1. *Vitas illuſtrium virorum ſcribendi conſuetudo. 2. & in iis ipſorum etiam parerga. 3. & minutias. 4. Vitarum ſcriptores antiqui. 5. Mæcenates olim plures. 6. Mæcenas ad Cannas cæſus. 7. Mæcenas, Druſi, Tribuni plebis antagoniſta. 8. Druſi interitus. 9. Mæcenas ſcriba. 10. Scribarum apud Romanos officium. 11. Sertorius occiſus. 12. Mæcenas Meſſius. 13. vel Meliſſus. 14. Mæcenas Helius. 15. Mæcenas Olympicus. 16. Mæcenas Prætorius. 17. de hoc locus ex Herodiano. 18. & Iulio Capitolino. 19. Mæcenas Cilnius. 20. unde patronis literatorum Mæcenatis appellatio. 21. Hujus vita à nemine deſcripta. 22. Iunii Tiberiani de neglecta memoria Aureliani Imp. querela. 23. accommodata ad Mæcenatem. 24. Mæcenatis apud ſcriptores mentio diſperſa. 25. Auctoris inſtitutum. 26. De virtute & gloria locus Silii Italici.*

VITAM deſcripturus MÆCENATIS, qui D. Auguſto Cæſari olim à conſiliis fuit ſecretioribus, omniumque arcanorum particeps, veteris inſtituti morem mihi ſequendum duxi; quo virorum illuſtrium ingenia non tantum & ſcripta, aut facta moreſque, vel laudamus, vel admiramur; ſed & cætera notare non omittimus, quæ adhæſerunt. Hoc eſt, quod pridem Xenophon Philoſophus apud Eunapium in veſtibulo libri *Num. 1.* 2

de Vitis Sophist. nos monuit; καὶ τὰ πάρεργα δεῖν τῶν ἀνδρείων ἀνδρῶν ἀναγράφειν· *Virorum fortium res etiam perfunctorie, & quasi aliud agentibus factitatas, memoriæ ac literis esse prodendas.* Rationem addimus ex Fl. Vopisco in Proculo: quod istorum etiam *minima quæque jucunda sint, & habeant aliquid gratiæ, quando leguntur.* Quo sensu non inepte Damis apud Philostratum in Vita Apollon. lib. I. c. XIII. quum culparetur, quod vitæ Apollonii minutias quasdam, ac minima etiam dicta insperssisset, respondit: *Etiam ea, quæ de mensis Deorum decciderent, colligi oportere, ne ambrosiæ illius pereat quicquam.* Exemplo nobis præivere ab omni ferè ævo infiniti, qui vel plurium virorum illustrium vitas, vel unius saltem aut alterius res gestas, ac dicta factaque literis consignarunt. Et quanquam maximam horum partem temporum nobis injuria inviderit, non paucorum tamen laboribus hodie etiamnum nos frui, est quod grato animo agnoscamus. Plures autem exstitisse, Mæcenatis nomine indigitatos, non ignorare is poterit, cui aliquid aliquando cum bonis auctoribus fuerit commercii: quos proinde, ut à nostro separemus, in principio hic commemorare, operæ pretium putavimus. Antiquissimus omnium, quod scimus, ille fuit, cujus Silius Italicus lib. X. meminit. Originem is quidem, si Poëtæ credimus, non secus ac noster, ex antiquissima duxit Etruriæ regum prosapia; longo tamen ante ipsum intervallo floruit, & anno V. C. Io XXXVII, ante natum Salvatorem CCXIV, in funestissima illa Pop. Rom. clade ad Cannas, ex vulnere ad inguen exspiravit. Verba Silii sunt:

Oppetis & Tyrio super inguina fixe veruto,
Mæcenas, *cui Mæonia venerabile terra*
Et sceptris olim celebratum nomen Etruscis.

Proxime à primo hoc Mæcenas notus ille est, quem inter fortes equites & robora Pop. Rom. recensuit Cicero: quemque M. Livio Druso, Tribuno plebis, per tumultum in Reipub. perniciem creato, quum novare quædam vellet, restitisse laudat, Orat. pro A. Cluentio. *O fortes equites Romanos*, inquit, *qui homini clarissimo ac potentissimo, M. Druso, tribuno plebis restiterunt, quum ille nihil aliud ageret, cum illa cuncta, quæ tum erat, nobilitate, nisi uti, qui res judicassent, hujuscemodi quæstionibus in judicium vocarentur. Tunc C. Flavius Pusio, Cn. Titinnius.* C. Mæcenas, *illa robora Pop. Romani, cæterique hujuscemodi ordinis, non fecerunt idem, quod nunc Cluentius, ut aliquid culpæ suscipere se putarent, recusando: sed apertissime repugnarunt, &c.* Interfectus autem est Drusus anno V. C. Ioc LXI. L. Martio Philippo & Sexto Julio Cæsare Coss. ante natum Christum XC. ante obitum nostri Mæcenatis LXXXIV. Ex Crispi Sallustii fragmentis notus est Mæcenas Scriba, ab officio, ut puto, sic dictus. Erant enim *Scribæ*, ut idem Cicero lib. III. in Verrem ait, *quorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque magistratuum committebantur.* Festus definit *librarios, qui rationes publicas scribebant in tabulis publicis.* Exstat Sallustii fragmentum apud Servium ad lib. I. Æn. Virg. ex Historiarum illius lib. III. *Igitur*, inquit, *discubuere. Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis Senator ex proscriptis; in summo Antonius, & infra Scriba Sertorii Versius; & alter scriba* Mæcenas *in imo; medius inter Tarquitium & dominum Perpernam.* Et de fragmenti quidem hujus vero intellectu adi magnum Salmasium Exercit. Plin. ad Solin. cap. LVII. Sallustius vero videtur eo loci descripsisse convivium, in quo *Sertorius, dux magnus & adversus duos imperatores, Pompeium & Metellum, sæpe par, & frequentius victor, tandem vero desertus & proditus, à M. Antonio & M. Perperna interfectus est*, ut verba habent Flori in Epit. Livii, cap. XCVI. Meminit convivii Plutarchus in Sertorio, Appianus lib. II. ἐμφυλ. & Ammianus lib.

lib. XXVI. Contigere omnia anno V. C. Ↄ Ↄ LXXXII. ante Salvatoris natalitia LXIX. Cn. Aufidio Oreſte & P. Cornelio Lentulo Sura Coss. annis integris LXIII. ante noſtri
12 Mæcenatis obitum. Mæcenatis, quem Meſſium vocat, mentionem facit Plinius lib. XXIX. cap. VI. & addit, ipſum, ut à ſputo ſanguinis ſanaretur, triennii ſilentium ſibi imperaſſe. *Iam & ſermoni parci*, inquit, *multis de cauſſis ſalutare eſt. Triennio* Mæcenatem Meſſium *accepimus ſilentium ſibi*
13 *imperaſſe, à convulſione reddito ſanguine*. Elias tamen Vinetus, Annotat. ad Sueton. de illuſtr. Grammat. & Rhetor. cap. XXI. atque alii, pro *Meſſio* apud Plinium Meliſſum ſubſtituunt, ut idem ſit cum illo noſtri Mæcenatis liberto,
14 de quo ex intervallo pluribus acturi ſumus. C. Mæcenatis Helii, quiſquis fuit, mentio fit in Inſcriptione antiqua, quam Romæ olim habuit Angelus Collotius, & deſcribit Janus Gruterus in magno & laborioſo Inſcriptionum opere, pag. Ↄ CXIV. num. XI.

CVRTIA. Ↄ. L. PRAPIS
CVI. PARS. DIMIDIA. HVIVS
MONVMENTI. CONCESSA. EST. AB
C. MÆCENATE. HELIO. SIBI. ET
P. CVRTIO. S. P. F. COL.
MAXIMO. FILIO. ET
TI. IVLIO. AVG. L. GLYCONI
ET. SVIS. POSTERISQVE. EORVM

15 Verum de hoc etiam pluribus poſt paullo nos vide. Sub Veſpaſiano Imp. vixit P. Mæcenas Olympicus. Ejus memoria ſuperat Romæ in baſi marmorea grandi & quadrata, anno CIↃ IↃ XVII. ad Arcum Septimii Severi Imp. effoſſa: cujus frontiſpicium à Tribu Succuſſana Juniore dicatum eſt PACI ÆTERNÆ DOMVS IMP. VESPASIANI CÆSARIS AVG. LIBERORVMQVE EIVS. In baſis tergo tria corpora, ſeu tres Ordines, in dextro vero latere

tere Ordines quinque tribulium, jam dictæ Tribus Succuſſanæ, deſcribuntur, qui in baſin, ut videtur, ſtatuaſque in ea collocandas contulerunt. Inter eos itaque in tergo, in primo ordine, eſt

P. MÆCENAS. OLYMPICVS.

In latere baſis ſiniſtro annotatus eſt dies dedicationis: XV. K. DEC. adſcriptique COSS.

L. ANNIVS. BASSVS
L. CÆCINA. PÆTVS

Quo tempore vero hi Romæ cum Conſulatu fuerint, non invenio: nec Conſulum omnium nomina in fragmentis Faſtorum, quæ hodie habemus, exſtant. Si conjecturis indulgendum, magiſtratu eos functos cenſeam anno Salvatoris noſtri LXX. ab V. C. Ↄ CCCXXII. quo primum Conſules deſignati fuere Veſpaſianus Imp. II. & Titus Veſpaſianus; quibus alii deinde ſuffecti Calendis Juliis, alii iterum ſine nomine, atque alii, Calendis Sept. & Nov. Mæ- 16
cenatem Prætorium, & ex Ducibus, jam recenſitis omnibus recentiorem, Herodianus inculcat, & Jul. Capitolinus, qui ſub Gordiano III. tandem occiſum memorat. Au- 17
diamus Herodianum ipſum, cujus verba Latio donata ſunt iſta: *In curiam quum omnes convenissent, ut de rerum ſtatu diſpicerent, ea re comperta milites ---- duo tresve, curioſiores audiendi, curiam ſunt ingreſſi, ſic ut ultra aram Victoriæ penetrarent. Hîc Senator quidam, depoſito nuper Conſulatu, Gallicanus nomine, ac genere Carthaginienſis; alterque item Prætorius,* Mæcenas, *nihil tale exſpectantes milites, manuſque adhuc ſub ſagulis habentes, repente adactis in corda pugionibus, quos in ſinu conditos ſecum adduxerant, interficiunt.* His adde, quæ Capitolinus habet in Gordiano III. *Poſthæc,* 18
inquit, *veterani ad curiam venerunt, ut diſcerent quid actum eſſet. Ex quibus duo, ingreſſi Capitolium, ante ipſam aram à Gallicano Ex-Conſulibus, &* Mæcenate *Ex-Ducibus interem-*

pti sunt. Et in Maximino seniore: *Profecto ad bellum Maximo contra Maximinum, Balbinus Romæ bellis intestinis & domesticis seditionibus angebatur; occisis præcipue per populum Gallicano &* Mæcenate. Accidere hæc anno V. C. Ↄ CCCC LXXXIIX. à nato Christo CC XXXVI. Maxi-
19 mino Aug. & C. Julio Africano Coss. Diversus ab omnibus istis noster est, de quo nunc agere animum induximus, Cajus Cilnius Mæcenas: ejus quidem, qui ad Cannas occubuisse scribitur, gentilis, atque ex eadem Tyrrhenorum, sive Etruriæ regum prosapia oriundus; sed recentior, Divi Augusti olim familiaris, & consiliorum moderator, cæterorumque omnium clarissimus. Fuit is & ipse elegantissime doctus, & doctorum hominum patronus munificentissimus, ut & nomen ejus, jam à tot seculis posteritati transcriptum, ierit in proverbium, ac Mæcenates dicantur, si qui literarum aut literas amantium tutelam ac
21 patrocinium in se recipiant. Et tamen è tanta turba eruditorum, quos ille tam impense fovit, quibus aulam Cæsaris aperuit, & ad immortalitatem nominis faculam alluxit: è tanto insuper numero tot scriptorum, qui Græcorum Romanorumque vitas digessere, neminem reperias, qui ejus facta gestaque literis consignarit, cujusque labori & industriæ accuratiorem viri memoriam deberi, posteritas
22 grata possit agnoscere aut deprædicare. Refert Fl. Vopiscus in Aureliano, Junium Tiberianum ex se quæsivisse, an quis Aureliani Imp. vitam in literas retulisset? & Vopisco negante, in hæc verba erupisse: *Ergo Thersiten, Sinonem, cæteraque prodigia vetustatis & nos bene scimus, & posteri frequentabunt? Divum Aurelianum, clarissimum Principem, severissimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini*
23 *orbis est restitutus, posteri nescient.* Hæc de Aureliano Tiberianus. Quid nos de *Mæcenate*? immo quid totus literatorum ordo? An non jure bono exclamemus: *Ergo multarum*

tarum humani generis catharmatum & pestium exstant publica monumenta, & posteritati transmissa superat memoria? Solus Mæcenas, *vir clarissimus, summe eruditus, de D. Augusto & Monarchia Romana, deque bonis literis & earum cultoribus optimè meritus, Musarum evergetes opt. max. neminem virtutum suarum præconem, vitæque & rerum gestarum scriptorem potuit invenire?* An, ut *multos clarissimos suis temporibus viros* (verba sunt Boëthii lib. II. de consolat. Phil. prosa VII) *Scriptorum inops delevit oblivio:* ita nostri etiam Semonis memoriam eadem obruit fati infelicitas? Conjiciat tamen aliquis, consignatam literis viri memoriam; laborem vero, ut multa alia, temporum injuria, hominumque incuria periisse. Crederem id sane perlubenter: sed nulla rei vestigia. Mentio viri apud aliquos non in- 24
frequens, laudes crebræ, morum descriptio, nec dissimulantur nævi. Omnia in universum pauca, parca & dispersa. Mihi certe, forte & aliis, minime satisfactum, injectumque majus desiderium; quod integrum optarem dæmonium illud hominis, non Penthei instar distractum. Verum, 25
ut frustra illud opto, ita operæ pretium me facturum semper putavi, si, quod facere alii insuper habuerunt, laborem eum mihi sumerem, quæque de Musarum hoc Hercule, & Gratiarum pullo, sparsim in bonis auctoribus supersunt, in unum collecta & coagmentata, omnium oculis exponerē. Qua quidem in re, cum Fl. Vopisco in Probo, *non ego nunc facultatem eloquentiamque polliceor; sed res gestas, quas præterire non patiar,* & industriam, quamcumque etiam iis colligendis impendi. Certus interim animi speique, non alia ratione me & pluribus *Mæcenatem* notiorem, quam fuerit hactenus, redditurum; virique clarissimi *facta atque famam nominis, cum laude & bonis recordationibus prosequendo,* effecturum *ut multa ac bona ejus facta immortalem apud animos omnium, gloriam ipsi concilient,* ut Tiberii hic utar verbis

bis ex Taciti Annal. lib. IV. cap. XXXIIX. & Dionis lib. XVI.
Vita enim mortuorum, inquit Cicero Philipp. IX. *in memoria*
26 *posita est vivorum*. Et quanquam, uti Silius Italicus loquitur, lib. XIII.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces:
Dulce tamen venit ad manes, quum Gloria Vitæ
Durat apud superos, nec edunt oblivia laudem.

CAPVT SECVNDVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis vitæ exordium à genere.* 2. *Genus non magni faciendum.* 3. *immo maxime.* 4. *Mæcenatis ex Etruriæ regibus origo.* 5. *Tyrrhenorum encomium.* 6. *Claudii Imp.* Τυρρηνικῶν *libri.* 7. *Excerpta Catonis.* 8. *Elbius Volturenus, Regum Etruriæ ultimus.* 9. *Turrhenus, tritavus Mæcenatis.* 10. *Titus atavus; Vulturenus, abavus.* 11. *Cæcina Volturenus, proavus.* 12. *Menippus avus, Menodorus pater Mæcenatis.* 13. *De Cæcina conniventia Scaligeri.* 14. *De Mæcenatis origine regia, testimonia.* 15. *Mæcenas Lydorum generosissimus.* 16. *Tyrrheni ex Lydia orti.* 17. *Tybris Lydius.* 18. *Mæcenatis avus paternus, maternusque, Legionum ductores.* 19. *Legiones magnæ, parvæ.* 20. *Tybris unde Tuscus, Tyrrhenus.* 21. *& Mæcenatis paternum flumen.* 22. *Augusti ad Mæcenatis originem allusiones.* 23. *Porsena, Lars Etruriæ.*

1 NOn aliunde justius vitæ Mæcenatis exordium auspicari poterimus, quam à natalitio sanguine, ultimaque prosapia, quæ orbi ipsum dedit. Quamquam enim non sim nescius, multos reperiri, qui hic mussitent, atque: ut cum Horatio loquar Sermon. lib. I. Sat. VI.

——— *persuasum habeant sibi vere,*
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos sæpe viros, nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, multis & honoribus auctos.
Contra Levinum, Valerî genus, unde superbus

Tar-

Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non unquam pretio pluris licuisse.

Quanquam insuper sint, qui ex Euripidis Electra subinde illud occinant;

Ὡς εἶδον ἄδη ἄνδρα γυναῖκα πατρὸς
Τὸ μηδὲν ὄντα, χρηστὰ τ' ἐκ κακῶν τέκνα·
Quod viderint nihili virum optimo ex patre,
Et optimam prolem ex malis parentibus.

Tamen rectius omnino illi sentiunt, & mecum Jove judi- 3
cant æquo, qui non infimam aut contemnendam humanæ felicitatis portionem, nec postremum laudis aut gloriæ momentum esse arbitrantur, ab illustribus ac claris progenitoribus vitæ ac generis ducere primordia. Est nempe

Δῆνος χαρακτὴρ, καὶ πίσημ' ἐν βροτοῖς,
Καλῶν γενέσθαι.
Est magna & insignis nota in mortalibus,
Bonis creatum,

inquit idem Euripides ἐκ ἀβῆ: fereque usu venit, quod Horatius scribit Carm. lib. IV. Ode IV.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quemadmodum vicissim, si παρωδεῖν licet,

Segnes creantur segnibus & pigris:
Est in molossis, est in apris patrum
Morbus: nec ignavi ferocem
Progenerant asini leonem.

Qui enim, inquit hac in re de Cæsare Antonius apud Dionem lib. XLIV. *obscuro loco nati sunt, possunt quidem hoc sibi adscisere, ut viri boni sint; attamen eorundem ignobilitatem etiam innata quædam vitia aliquando arguere possunt. Quibus vero semina virtutis à majoribus per multum tempus*

 ducta

ducta adsunt, fieri non potest, quin & ingenita & perpetua virtute sint præditi. Quam ut exerceant, subinde eos

Et pater AEneas, & avunculus excitat Hector,

ut de Ascanio scribit Poëtarum princeps Æn. lib. III. Contigit igitur si cui alii, certe *Mæcenati*, ea felicitas, ut ex antiquissima & nobilissima prosapia, & pace belloque clarissima origine nasceretur. Ea fuit *Etruscorum Tyrrhenorumve Regum:* in qua una, quicquid virtutis prisca habuerunt tempora, olim eluxit. Quam longe lateque in Italia illi imperarint, quantoque tempore Pop. Romani arma exercuerint, nihil attinet prolixius ostendere, quum nostro instituto parum faciat. Quibus ita visum fuerit, adire poterunt V. CL. Reinerum Reineccium Hist. Juliæ part. I. regno XLIX. Suffecerit indicasse, ita priscis temporibus vixisse Tyrrhenos, ut περὶ Νομίμων, sive *de Moribus gentis & institutis*, si Athenæo credimus lib. XII. peculiare jam olim condiderit volumen maximus Philosophorum Aristoteles: atque aliud περὶ Τυρσηνῶν, sive *de Tyrrhenis* confecerit Aristotelis discipulus, ὁ θεῖα φράζων Theophrastus, testante Pindari Scholiaste in Pyth. Ode II. Quin ea tum gentis tum familiæ regiæ fuit nobilitas, ea rerum, domi forisque gestarum momenta, ut Claudium Imp invenerint scriptorem & præconem. Qui quidem, ut auctor est Suetonius in Claud. cap. XLI. Græce Τυῤῥηνικῶν libros XX. stilo signavit, voluitque ut Alexandriæ statutis diebus recitarentur, in novo eam ob caussam condito Museio, quod *Claudianum*, sive *Claudium* vocabatur; cujus etiam meminit Athenæus lib. VI. Nos ultima tantum familiæ attingemus ex M. Porcii Catonis illis fragmentis, quæ ex ejus Originum lib. II. & III. deprompta creduntur. Excerpta ista ultimum Tyrrhenorum regum indicant fuisse *Elbium Volturrenum*, ad lacum Vadimonis cæsum Olymp. CCXXIV. anno II. qui incidit in annum V. C. CCCCXLV. ante natum Salvatorem CCCVI. Q. Fabio

Fabio Maximo Rulliano II. & C. Martio Rutilio Censorio Coss. *qua* primum *clade*, ut Livius ait lib. IX. *Veteri fortuna abundantes Etruscorum fractæ fuerunt opes.* Elbii filius fuit *Turrhenus*, qui licet ad reddendam Romanis civitatem se allici fuerit passus, ea tamen pertinacia patriis institutis adhæsit, ut ad recipiendas Romanas literas nunquam persuaderi potuerit. Turrheni filius *Titus*, & ex Tito nepos *Volturenus*, Romanorum principibus semper carissimi, sæpius & ipsi solicitati, idem facere recusarunt. Fecit tamen id tandem Voltureni filius, *Cæcina Volturenus*, Quadrigarum Romæ magister & Augurum princeps, & contra morem gentis Latinas literas addidicit. Atque hunc Cæcinam viri docti patrem faciunt *Menippi*, avum *Menodori*, cujus deinde filius fuerit *Mæcenas* noster. Et *Cæcinam* quidem quod attinet, potuit is ille forsan esse, quem de Etrusca disciplina scripsisse notat Plinius in Elencho Auctorum, quibus usus fuit in libro secundo Historiæ suæ compilando: quemque magistrum Quadrigarum vocat, sed pro Volturreno Volaterranum nominat lib. X. cap. XXIV. Minime vero *Rex* fuit *Cæcina* iste, quod illustris Scaliger filius voluit Notis ad Pedonem, & qui ipsum sequuntur Jac. Cruquius & Gualth. Chabotius, Horatii interpretes ad Oden primam. Nam regem Etruriæ jam ante in Elbio desiisse dicit Cato. Nec *atavus* potuit esse Mæcenatis, quod idem voluit Scaliger & Cruquius; immo nec abavus, sed proavus tantum, si Menippi fuit pater. Alius vero fuerit A. *Cæcina Volaterranus*, Cæsaris inimicus & Ciceronis familiaris, quem cum Quadrigarum magistro & Augurum principe videtur confundere Raph. Volaterranus lib. XIV. Nec enim qui Ciceronis & Cæsaris tempestate vixit, Mæcenatis proavus aut dici aut esse potuit. *Menodorum* vero, Menippi filium idem Scaliger cum Cruquio & Chabotio eum esse volunt, quem Julio Cæsari contra Pompeium adfuisse testen-

14 tur historiæ. Quamquam vero nullo hoc antiquitatis testimonio, quantum mihi quidem ea innotuit, probari possit: *Mæcenas* etiam (modo noster ille is sit) in veteri inscriptione Romana, quam mox cap. IV. dabimus, *Lucii* filius vocetur: tamen sufficit scire nos, illustrem factis meritisque virum à majoribus illustrissimis & ex antiquissima regum Etruriæ prosapia, sive ab Elbii stirpe, sive alterius cujusdam, descendisse. Ejus adsertionis testes omni exceptione majores Horatius in principio Carminum:

Mæcenas *atavis edite regibus.*

& lib. II. Carm. Ode XXIX. ad Mæcenatem:

Tyrrhena regum progenies.

Propertius lib. III. eleg. VII.

Mæcenas *eques Etrusco de sanguine regum.*

Martialis lib. XII. epigr. IV.

Mæcenas *atavis regibus ortus eques.*

Pedo in Epicedio Mæcenatis:

Regis eras genus Etrusci.

15 Nec alio spectat, quod Horatius Serm. lib. I. Sat. VI. in Etruria neminem Lydorum Mæcenate generosiorem esse ait, ac non tantum paternum ipsius avum, sed & maternum, magnarum Legionum imperia tenuisse. Adscribo ipsos Poëtæ versus,

Non quia Mæcenas, *Lydorum quicquid Etruscos*
Incoluit fines, nemo generosior est Te;
Nec quod avus tibi sit maternus atque paternus,
Olim qui magnis Legionibus imperitarunt &c.

16 Ubi primo operæ pretium est notare, *Mæcenatem generosiorem Lydis* aliis dici, quod *Etrusci*, à quibus Mæcenati origo, ab initio *Lydi* essent, ut Plutarchus ait in Quæstion. Rom. Tyrrhenus enim Atyos filius, Lydia profectus, coloniam duxit in Etruriam, ac regnum condidit, si Straboni credimus lib. V. Tacito Annal. lib. IV. cap. LV. Velleio lib. I. &

& Dionys. Halicarnassæo lib. I. Quam ob caussam etiam 17
Tybris, in Etruria ortus, Virgilio *Lydius* dicitur Æn. lib. II.

---- ---- *Ubi Lydius arva*
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris

Notandum porro venit, per *magnas Legiones*, quibus *Mæ-* 18
cenatis avus paternus maternusque præfuere, integros quasi intelligi exercitus, quos duxerint. De ejuscemodi Legionibus capiendus Lucretius lib. II.

Præterea magnæ Legiones, quum loca cursu
Camporum complent, belli simulachra cientes.

Fuere siquidem Romanis & *magnæ Legiones* & *parvæ*. Illas 19
ordinarias vocabant; Livius lib. XXXIV. *expeditas* nominat; Vegetius lib. II. cap. VII. *plenas*; sex millium peditum & septingentorum equitum. Has *extraordinarias* & *imperfectas* vocabant, sæpe non duum millium, ut docet Wolffg. Lazius Comm. Reip. Rom. lib. V. cap. III. *Exiles* vocat Cicero ad Atticum lib. V. epist. XV. alibi *Legiunculas: Omnis spes in duabus pene invidiose retentis Legiunculis*. Cæterum ex 20
eo quod ex Etruria, sive Tuscia, Tyrrhenorum colonia, fluat *Tybris*, ut dixi, Virgilius *Tuscum* ipsum vocat, & *Tyrrhenum* & *Tuscum amnem* Georg. l. I. Æn. lib. VII. & X. Horatius *Tuscum alveum* l. III. carm. Ode VII. Ovidius *Tuscum flumen* & *Tuscas aquas* lib. XIV. Metam. fab. XV. & lib. IV. Fastor. Papinius *Tuscos gurgites* Silvar. lib. IV. carm. V. Quodque ab 21
ejus Tusciæ sive Etruriæ regibus genus duceret *Mæcenas*, Horatius *Tybrin*, ex Tuscia ortum, *Mæcenatis paternum flumen* vocat lib. I. carm. Ode XX. Applausisse enim scribit Mæcenati Populum Romanum tanta acclamatione, ut ejus *laudes paterni fluminis ripæ*, hoc est, Tybris, *redderent* & resonarent. Verum de applausu illo pluribus ex intervallo agemus. Ad Mæcenatis verò ex Etruria, & ejus re- 22
gum familia originem, etiam respexisse D. Augustum in Epistola, cujus fragmentum nobis conservavit Macrobius

Saturn. lib. II. cap. IV. extra controversiam est. Loquitur in ea Augustus Mæcenati, in deliciis viventi, meras delicias, vocatque ipsum *ebur ex Etruria*, regno nempe avito; *margaritum Tyberinum*, hoc est, Tuscum; *lasar Aretinum*, 23 ab Aretio, nobili olim Etruriæ opido; *beryllum Porsenæ*, qui Tarquinii Superbi, regis Romani tempestate *Lars* fuit, sive summus Etruriæ Rex, & à cujus successoribus sive posteris Mæcenatis majores deduci, id temporis omnibus constabat.

CAPVT TERTIVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis progenitores Romæ equestri dignitate vixere.* 2. *Hinc Mæcenati equitis appellatio.* 3. *In quam familiam transierint, dubium.* 4. *Lambinus ad Vipsanios retulit.* 5. *Manutius ad Cincios.* 6. *Glandorpius ad Helios.* 7. *Boccalinus ad Licinios.* 8. *Muretus ad Aquilios.* 9. *Refellitur Lambinus.* 10. *& Manutius.* 11. *& Glandorpius.* 12. *Helius Melissus.* 13. *Cognomina apud Romanos eadem in diversis familiis.* 14. *Refellitur Boccalinus.* 15. *& Muretus.* 16. *Servorum conditio apud Romanos.* 17. *Manumissi, nomen aut cognomen patroni retinebant.* 18. *Nec tamen semper.* 19. *C. Iunius Thalatio, Mæcenatis libertus.* 20. *Mæcenates ad Cilnios retulit Turnebus.* 21. *Quem sequuntur viri docti alii.* 22. *Cilnii, populo Etrusci, domo Aretini.* 23. *Locus apud Livium aliter à Lipsio lectus.* 24. *& apud Silium.* 25. *Augusti ad Mæcenatis familiam allusio.* 26. *Locus Taciti aliter lectus.* 27. *Tribus Romanæ.* 28. *& inter eas Pomptina.* 29. *in quam relata familia Cilnia, & Mæcenas.*

1 PROgenitores *Mæcenatis*, ex quo deposita purpura, regiisq; insignibus Romam commigrarunt, *equestri dignitate* vixere. Unde est, quod *Cæcina Volturenus*, quem Mæcenatis proavum fuisse diximus, à Plinio lib. X. cap. XXIV. equestris 2 ordinis titulo ornatur. Et *Mæcenas* ipse fere semper priscis scriptoribus *eques* & *equestris dignitatis vir* appellatur. Horatius Carm. lib. I. Ode XX.

Care

Care Mæcenas, *eques.*

& lib. III. Ode XVI.

Mæcenas *equitum decus.*

Martialis lib. IIX. Epigr. LVI. de Mæcenate ipso agens:

Risit Tuscus eques.

Item lib. X. epigr. LXXIII.

---- ---- Mæcenas *Cæsarianus eques.*

& lib. XII. epigr. IV.

Mæcenas *atavis regibus ortus eques.*

Propertius lib. III. Eleg. IV.

Mæcenas *eques Etrusco de sanguine Regum.*

Velleius lib. III. *C. Mæcenas equestri, at splendido genere natus vir.* Tacitus lib. VI. Annal. cap. XI. *Cæterum Augustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam & Italiam præposuit.* Dion lib. LV. ἱππέα vocat: ὅθεν, καίπερ ἱππεὺς αὐτῷ ὄντι, τὸ ἄρχειν ὅλη πολλὼ χρόνον ἐπέτρεψε· *Itaque ipsi* (Mæcenati) *equestris tantum ordinis viro, Vrbis custodiam longo tempore commisit.* Et post paullo de eodem ait, quod τῷ τῶν ἱππέων τέλει κατεβίω· *In equestri statu vitam exegerit.* At in quam familiam transierint, *Mæcenatis* 3 majores, id in dubio hæret, variæque & discrepantes sunt doctorum sententiæ. Dionysius Lambinus, in vita Lucretii, quam ejus Poëmatum editioni tertiæ præfixit *Mæcenatem Vipsanium* vocat, *Cæsari Augusto & M. Agrippæ carissimum atque intimum.* Paulus Manutius Annot. ad Horat. 5 *Cinciorum* genti adscribit. Joan. Glandorpius Onomast. 6 Rom. *Heliorum* familiæ inseruit. Trajanus Boccalinus ne- 7 gli Raggnali di Parnaso Centur. I. ragg. XXXIV. dum Licinii cognomen Mæcenati tribuit, ad *Licinios* retulisse videtur. Ant. Muretus Notis ad Horatii Oden primam ad *A-* 8 *quilios* pertinere censuit. Verum omnes hac in re frustra fuere, viri licet doctissimi. Lambinus sine ratione, sine an- 9 tiquitatis auctoritate ulla, *Vipsanii* nomen unus solusque

Mæ-

Mæcenati tribuit, quod alii ad unum omnes M. Agrippæ adscripserunt: idque

Vel pueri norunt, & qui nondum ære lavantur.

Et ridicule *Vipsanium* Agrippæ carissimum & intimum facit, qui ipsissimus erat Vipsanius. Quanquam sciam etiam Agrippam aliquando id cognomen abominatum, ut paternæ humilitatis argumentum: si modo fides habenda
10 fuerit Senecæ Rhetori Controv. XII. Quod vero Manutium attinet, uti necille fuæ adsertionis argumenta dicit: ita eadem facilitate eam rejicimus, qua ipse sibi nos credere postulavit. Præsertim, quum ne vestigium ullum Mæcenatis majorum in familia *Cincia* apud Romanos sit re-
11 perire. Atque idem etiam de Heliorum familia Glandorpio objici posset. Nam & hic sine exemplo Mæcenatem in eam primus traduxit, & primus *Helium* nullo auctorum testimonio nominavit. Quem enim ex Cicerone *C. Helium Mæcenatem*, & ex Plinio & Suetonio *C. Helium Mæcenatem Melissum* vocat, Mæcenatis libertum (de quibus ab initio monui) eorum alterum Cicero non *C. Helium*, sed simpliciter *C. Mæcenatem* nominavit; alterum Plinius, excluso *Helii* nomine, *Mæcenatis Messii*, vel potius *Melissi* nomine ap-
12 pellavit. Agellius quidem lib. XIIX. c. VI. *Helii Melissi* meminit, sed ut *Mæcenatis* illi non det nomen. Et alius is est à Mæcenatis liberto, & recentior, atque Agellii ipsius, qui sub Hadriano Imp. floruit, coætaneus. *Helius Melissus*, inquit, *in nostra memoria fuit Romæ &c.* Idque observavit etiam superiori ævo vir præcellentis ingenii, Lilius Gyraldus Histor. Poëtar. Dial. IIX. & de Melisso utroque separatim egit. At *C. Helius Mæcenas*, quem ex veteri inscriptione paullo ante produximus, ex *Heliorum* potuit fuisse familia, *Mæcenatis* vero sibi sumpsisse cognomen, vel ab eodem illo loco à quo Mæcenas noster, ut mox dicemus;
13 vel ob adoptionem, aut alia quacumque ex caussa. Nihil enim

enim novi apud Romanos, unum idemque cognomen in diversis familiis usurpari. *Flaminini* cognomen, & Quinctiorum erat & Claudiorum; *Barbati*, Horatiorum & Scipionum: *Tergemini*, Horatiorum & Curiatiorum, quod docent historiæ. Et per adoptionem etiam adoptatos in adoptantis nomen vel cognomen successisse, notius est, quam ut probari debeat. Boccalinum, ut ad *Licinios* referret Mæ- 14
cenatem, mendum textus Liviani seduxit: in quo pro *Cilnio genere*, Codices quidam *Licinium* inculcant. Quum enim Cilnium genus præpotens esset apud Aretinos in Etruria, & Boccalinus Mæcenatem Etruscum esse non ignoraret, & ex Aretinis; *Licinium* ex corrupto textu dixit, quem *Cilnium* debebat, ut pluribus statim docebimus. Mu- 15
reti rationes, ob quas ad *Aquilios* traduxit Mæcenatem, ex ipsomet audiemus. Postquam is enim *Mæcenatem* ad celeritatem scribendi Notas quasdam invenisse, & Aquilæ liberti ministerio alios docuisse, ex Dionis lib. LV. notasset, subjungit: *Ac vidi, qui in eo Dionis loco pro* Ἀκύλᾳ, *sive* Aquilæ, *vel* Ἀκυλίᾳ *vel* Ἀκιλίᾳ, *legendum suspicarentur. Porro quum liberti ut notum est, patronorum sibi nomina adsumerent, ex eo loco acutior fortasse aliquis poterit, ex qua gente Mæcenas fuerit, conjicere.* Hæc Muretus. Verum opinio ista primum ex conjectura saltem est: quum non certo liqueat, an pro Ἀκύλᾳ sive *Aquila*, Ἀκίλιος sive *Aquilius* sit legendum. Isidorus certe Orig. lib. I. cap. XXI. non *Aquilium*, sed *Aquilam* vocat. Nec si de eo constet, concludere statim licebit; Mæcenatis libertum *Aquilium* dici, ergo & *Mæcenatem* esse ex Aquiliis. *Servi* quidem apud Romanos 16
proprie nec parentes nec agnatos cognatosve habuere, ut ex L. Hos accusare. XII. §. IV. vers. item nec Lex Pompeia. D. de accusat. & L. X. §. V. D. de Gradib. manifesto liquet. Ac propterea, quum nec familiam, nec genus haberent, cognomine etiam uti non poterant, ex L. cum pretium.

IX. Cod. de liberali cauſſa; ſed ſolo nomine contenti eſſe cogebantur, quod pro arbitrio ipſis imponebat patronus;
17 manumiſſi vero in nomen patroni fere tranſibant. Dico
18 fere. Nam ſæpe prorſus alio, quam patroni nomine aut cognomine fuerunt appellati. Divus Auguſtus *Maratho* & *Hygino*, libertis ſuis, non *Octavii*, ſed *Iulii* nomen: *Antonio Muſæ* ac *Vulpio Martiali*, nec ſuum nec cujuſquam
19 agnatorum dedit. *Mæcenati* libertus fuit; cui inſcriptio vetus, quam ſuo loco totam adſcribemus, *C. Iunii Thalationis* tribuit nomen. Quid hoc vero ad Mæcenatem, ejuſque familiam, quamcumque habuit? Ut vel hinc liqueat, quid ex ſervorum aut libertorum nomine vel cognomine, de
20 patroni familia judicare liceat. Meliori igitur jure *Mæcenatem* ad *Cilnios* traduxit Adr. Turnebus, Galliæ ocellus, Adverſar. lib. XIIX. cap. II. quem ſequitur Juſtus Lipſius Criticorum ſuperioris ſeculi princeps, Antiq. Lect. lib. I. c. XXII. & Comm. ad Taciti Annal. lib. V. ubi ſententiæ ſuæ ὁμόψη-
21 φον laudat Victorem Giſelinum. Neque aliter cenſuerunt Fulvius Urſinus Notis ad eundem Taciti locum; Jac. Dalechampius Comm. ad Plinii lib. XXIV. c. VI. Andr. Schottus Obſerv. human. lib. II. cap. LX. virique eruditi alii; qui-
22 bus jure merito etiam nos ſubſcribimus. Fuere autem *Cilnii*, populo *Etruſci*, domo *Aretini*: maximæ apud concives potentiæ ac dignitatis. Docet hoc Livius lib. X. *Etruriam rebellare ab Aretinorum ſeditionibus motu orto nunciabatur: ubi* Cilnium *genus præpotens divitiarum invidia pelli armis cæptum.* Et paucis interjectis: *Seditionibus tantum Aretinorum compoſitis &* Cilnio *genere cum plebe in gratiam redu-*
23 *cto* &c. Quanquam enim in vulgatis codicibus pro *Cilnio genere*, legatur *Licinium*, quod jam monui, item *civium genus:* tamen optime Lipſius ex vetuſtiſſimo Veſontionen-
24 ſi MS. reponit *Cilnium genus*. Et fuit ex hac familia, quod idem monet Lipſius, captivus ille, quem Silius Italicus

cus lib. VII. de cæſis ad Cremeram Fabiis verba facientem introducit. Nam & Etruſcum facit, & Aretinum: librarii ſaltem errore *Cilinus* audit, qui *Cilnius* debebat, levi duarum literarum μεταθέσει: quemadmodum nec aliter in MSS. atque etiam in marmore legi notat Claud. Dauſqueius Comm. in Silium Italicum. Verſus Silii ſunt lib. VII.

Cilnius, Arreti Tyrrhenis natus in oris,
Clarum nomen erat, ſed læva adduxerat hora
Ticini juvenem ripis, fuſuſque ruentis
Vulnere equi, Libycis præbebat colla catenis.

Ad eam porro familiam pertinere *Mæcenatem*, etiam D. Auguſtus ſatis innuit Epiſtola illa apud Macrobium, cujus jam ante meminimus. Etenim & *ebur* illum vocat *ex Etruria*, & *laſer Aretinum*, & *Cilniorum ſmaragdum*; hoc eſt, ut preſſius dicam & explicatius: *populo Etruſcum, domo Aretinum, familia Cilnium* eſſe oſtendit. Docet idem Tacitus 25
loco adducto, ubi *Cilnium Mæcenatem* (de noſtro loquitur) ab Auguſto Romæ & Italiæ ſcribit præpoſitum. Nam & ibi pro *Cilino*; quod nullius familiæ Romanæ eſt nomen, *Cilnius* omnino reſcribendus. Sed de *Tribu* etiam, in quam 26
Cilnii Romæ fuerunt recepti, aliquid nobis dicendum. Dividebatur jam olim Pop. Romanus in certas *Tribus*, in quarum unam civium unumquemque, cujuſcumque eſſet ordinis, oportebat referri. Eæque vel *Vrbanæ* erant in Urbe ipſa, vel *Ruſticæ* in agro Romano. Et Ruſticæ quidem Urbanis præferebantur, atque à nobiliſſimis civium maxime expetebantur: ut docet nos Varro in princ. lib. II. de R.R. & Plinius lib. XIIX. cap. III. Ex Ruſticis tribubus inter alias 27
erat *Pomptina*, cæteris anno V.C. CCCXCV. addita, notante Livio lib. VII. In eam relatam familiam *Cilniam*, noſtrumque *Mæcenatem*, fidem facere videtur inſcriptio antiqua, hodie adhuc Romæ ſuperſtes, cujus partem adſcribo, reliquum ejus in finem operis reſervaturus cap. XXIIX.

LEIBERTORVM. ET. LEIBERTAR
C. MÆCENATIS
L. F. POM

28 Ubi τὸ POM. *Tribum Pomptinam* Mæcenatis denotat, ab *agro Pomptino* sic dictam. Festus quidem *Pontinam* eam videtur appellare, ut forte sit à *Pontia*, opido Volscorum. Verum Car. Sigonius mendum in Festo esse suspicatur, & pro *Pontina tribu* rescribit *Pomptinam*, pro urbe *Pontia*, *Pometiam* Etruriæ.

CAPVT QVARTVM.

SVMMARIA.

1. *Annus natalis Mæcenatis ignoratur.* 2. *Tarutius, insignis Mathematicus.* 3. *Ex Romuli vita annus & dies natalis investigati.* 4. *Dies natalis Mæcenatis.* 5. *Horatius ex Censorino explicatus.* 6. *Scaligeri patris laus & conniventia.* 7. *Floralia quando celebrata.* 8. *Romanorum mos in nati fortunam inquirendi.* 9. *Mæcenatis thema genethliacum.* 10. *Iupiter ἀγαθοποιὸς, Saturnus κακοποιὸς.* 11. *Horatii locus à Persio expressus.* 12. *Nominis Mæcenatis ὀρθογραφία.* 19. *Communis de ea doctorum sententia.* 14. *Alia Becmani opinio.* 15. *Quæ refellitur.* 16. *Martinii tertia.* 17. *Sed hæsitanter prolata.* 18. *Mæcenas, vocabulum antiquissimum.* 19. *M. Valerio Probo Latinum censitum.* 20. *Varroni à loco dictum.* 21. *Mæcia castrum, Mæciana tribus.* 22. *Lux Varroni data à Plinio.* 23. *Vina Mæcenatia à loco dicta.* 24. *& quidem mediterraneo.* 25. *Cui olim nomen Mæcena.* 26. *Hugonis Grotii laus.* 27. *Mæcenati adsertum Caji prænomen.* 28. *Cajus Cilnius Mæcenas.*

1 ANnus, quo in lucem editus *Mæcenas*, ignoratur. Eum tamen Tarutius forte aliquis, si hoc ævo viveret, facile
2 nobis expediret. Fuit is *L. Tarutius Firmanus*, Ciceronis familiaris, cui lib. II. de Divinat. *Chaldaicis rationibus inprimis eruditus*, Plutarcho in Romulo *Mathematicus insignis* vocatur. Ei *Varro*, ut Plutarchus ait, *imposuit, ut Romuli nata-*

talem designaret, ex eventis ejus rationes deducens. Ejusdem enim Varro dicebat esse disciplinæ, quum diem natalem acceperis, vitam cujusque prænunciare; & vita proposita exquirere natalem. Et suscepit Tarutius provinciam non invi- 3
tus, ac consideratis Romuli casibus, gestisque rebus, ac spatio vitæ & mortis, iisque inter se collatis, confidenter pronunciavit, Romulum anno I. Olymp. II. die XXIII. mensis Choeac, sive Decembris, ad horam tertiam conceptum: in lucem vero editum die XXI. mensis Thot, seu Septembris, circa Solis ortum.
Verum nec præsto nobis nunc est Tarutius, qui ex Mæcenatis fortuna factisque, quæ explicabimus, annum horamque, seu punctum illud, quo lucem aspexit, eruat: nec forte aleam subituro fidem arbitrarentur ipsi, quos hodie habemus, Mathematicorum filii. Et jam tum temporis Cicero familiaris sui conatum aut confidentiam, vocavit *vim maximam erroris*. Diem tamen (si annum horamque igno- 4
ramus) quam vitæ principem habuit *Mæcenas*, scimus fuisse *Idus Apriles*, quæ in diem ejus mensis XIII. incidunt. Id docuit nos Horatius Carm. lib. IV. Ode XI. quâ Phyllidem amicam ad Mæcenatis natalem celebrandum, sive ad *convivium natalitium*, ut Symmachus vocat. lib. VI. epist. LXXXII. his versibus invitat:

Vt tamen novis, quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem:
Iure solennis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio, quod ex hac
Luce Mæcenas *meus affluentes*
Ordinat annos.

Ait autem Poëta, quod obiter noto, Mæcenatis natalem 5
non tantum jure solennem sibi esse, sed & *sanctiorem pene natali proprio*. Id quare ità dicat, *nemo rectius nos docebit*

Censorino, quando lib. de die natali cap. III. causſam reddit, ob quam Q. Cerealis natalem ſanctius proprio celebrare inducatur, verba ejus ſunt: *Quum ſinguli homines ſuos tantummodo proprios colant natales; ego tamen duplici quotannis officio hujuſce religionis aſtringor. Nam, quum ex te* (*Cerealem* appellat) *tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus atque præſidium, cuncta denique vitæ præmia recipiam; nefas arbitror, ſi diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitæ atque ornamentum peperit.* Certe non minus debuit Horatius Mæcenati, quam Censorinus
6 Cereali, ut ſuo loco dicemus. Cæterum Jul. Cæſ. Scaliger, vir alioquin ſtupendæ eruditionis, & quo Sol doctiorem vix illuxit alterum, Poëtices lib. III. cap. CII. *Mæcenatem* natum ſcripſit *Floralibus*: memoriæ forſan lapſu, qui in ſummates iſtos etiam atque Semonas, dum mentem in varia
7 dividunt, cadere interdum poteſt. *Floralia* enim longe poſt Idus celebrari ſolebant, atque in ipſas menſis Maji Kalendas finiebant, quod ex Ovidii Faſtorum lib. VI. & Pli-
8 nii lib. XIIX. cap. XXX. manifeſte liquet. Erat porro ſeculi more quo *Mæcenas* vixit, jam tum ſolenne, ut parentes ſuper recens nato, aut qui adultiores erant, ipſimet Mathematicos conſulerent, atque ex nativitatis hora, aſtrorumque in ea poſitu, per *Babylonios numeros*, ut vocat Horatius lib. I. Carm. Ode XI. ſive *Chaldaicas rationes*, ut appellat Cicero loco paullo ante adducto; eventura ſciſcitarentur. Ita Auguſtum comite Agrippa Diogenis Mathematici pergulam Apolloniæ aſcendiſſe, ut de genitura ſua ipſum percunctaretur, refert Suetonius Octavio cap. XCIV. Et de Antonio Triumviro teſtis Plutarchus in ejus vita, fuiſſe in ipſius contubernio ἄνδρα μαντικὸν ἀπ' Αἰγύπτου, τὰ τοῖς γενέσεις ἐπισκοποῦντων· *Virum fatiloquum AEgyptium, ex natalibus futura prædicere doctum*: ſive, *fatorum per genituras inter-*

interpretem, ut Heliodorum quendam vocat Ammianus lib. XXIX. Tiberius callebat ipſe *ſcientiam artis Chaldæorum*, ut nominat Tacitus lib. VI. Annal. cap. XX. & addidicerat eam magiſtro *Traſullo Rhodio*, de quo Dionem etiam vide lib. XLV. Igitur ſimile quid vel à *Mæcenatis* parentibus, vel ipſomet adultiore factum, & Aſtrologorum artes ſolicitatas, nullus dubito. Horatius certe fecit, ne *genituram*, ut 9 vocant, ſeu *Thema* ejus *genethliacum* prorſus ignoraremus. *Horoſcopi* ſiquidem in ejus genitura mentionem facit lib. II. Carm. Ode XVII. Et horoſcopum quidem ibi vocat *horam natalem*; Tacitus loco adducto cap. XXI. *genitalem*; quæ eidem Horatio Epiſt. lib. II. ep. ult. eſt *natale aſtrum*; Manilio lib. III. *naſcens aſtrum*. Colligas igitur ex Horatio, habuiſſe *Mæcenatem* in ea cæli parte, quæ naſcenti in hemiſphærium loci natalis emerſit, *Saturni infauſtam infeſtamque ſtellam*: cujus tamen malivolentiam eidem oppoſitus, & *hominum generi* (ut Cicero loquitur lib. VI. de Rep.) *proſper & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Iovis*, contraria & forti irradiatione temperarit, quodque ille mali parabat, tranſtulerit in melius. Jupiter enim ἀγαθοποιὸν ſeu *beneficum* 10 ſidus eſt Aſtrologis, Saturnus κακοποιὸν, ſive *maleficum*: & ſæpe apud Jul. Firmicum legas in Matheſios, ſeu Aſtronomicorum libris, *Saturnum radiationibus Iovis mitigari*. Verſus Horatii ad Mæcenatem, qui huc ſpectant, ſunt iſti:

——— *Te Iovis impio*
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, celeriſque fati
Tardavit alas.

Atque hunc Horatii locum, de Jovis Saturnique adſpectu 11 contrario, contrariaque operatione, A. Perſio in mentem fuiſſe autumo, quando ſuum Cornutique affectum mutuum occulto adſcribit ſiderum aſpectui, Sat. V.

——— *Seu*

---- ---- *Seu nota fidelibus Hora*
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.

In lucem edito *Mæcenati*, ut *Cilnii* nomen jure gentilitio obvenit: ita postmodum, more Romanis solenni, cognomen vel additum, vel adsumtum Mæcenatis. De hoc vero 12 maxime res est in controversiam, & tam de ejus notatione, quam recta scribendi ratione (ὀρθογραφίαν vocamus) in 13 diversas auctores eunt sententias. Maxima quidem eruditorum pars, tum ex Dione, Appiano, Æliano, Herodiano, Xiphilino, & cæteris qui Græcè scripserunt; tum ex inscriptionibus veteribus & nummis antiquis Μαικλώας per αι in prima, & η in secunda syllaba, recte scribi existimant. Eos Latini sequuntur, apud quos in plurimorum, ac tantum non omnium auctorum MSS. est *Mæcenas*; in prima nempe syllaba diphthongus *æ*, in secunda *e* longum, quam 14 scriptionem viri docti ad unum fere omnes recipiunt. At Christianus Becmanus, vir cætera doctissimus, in Origin. Lat. Ling. quamvis fere ad eum modum scribi *Mæcenatis* nomen concedat; *nisi tamen scriptionis ratio reddatur, se fidem nemini habiturum* ait. *Nam & tabulas & monumenta antiqua* (ita enim pergit) *ab indoctis plerunque sculptoribus & pictoribus elaborata, non usque adeo indubitatæ esse fidei, ut fallere aliquando non possint: præsertim quum etiam* Mecœnas *per* œ *in secunda scriptum reperiri ajat Turnebus, & Græcorum quoque non nemo* Μηκοίνας *per* η *in prima, &* οι *in secunda scripserit, atque inscitiâ descriptorum facile una vel litera vel diphthongus pro altera poni potuerit; quod exempla testentur innumera.* Igitur ipse Μηκοίνας, & Latine Mecœnas scribendum statuit, atque originem vocabuli esse ait à μὴ & κοινὸς, quod *singularis, non plebeius, non unus è multis, sed supra vulgum patronus Mæcenas fuerit.* Aut si ex aliorum sententia scribendum sit Μαικλώας, nominis originationem esse

esse astruit à μὴ & καινὸς, quasi idem *non novus homo, sed ex antiqua prosapia, ataviisque editus fuerit regiis.* Verum vix 15 tanti hæc sunt, ut operose refelli debeant. Monumentorum certe fides, sive marmori, sive tabulis inciisa exstent æneis, non ita nobis elevanda erit: quum testibus ea potiora Senatus olim Romanus censuerit, si Marcello JC^to^ credimus in L. x. D. de Probat. Quæ vero de indoctis sculptoribus, pictoribus aut lapicidis afferuntur, ea satis refellit vir eruditus Ger. Jo. Vossius lib. de Arte Grammat. cap. ult. quo Lectorem remitto. Nec quidquam facit, uno aliquo in loco scribi *Mecœnas*, sive Μηκοίνας. Error enim unius alicujus est exscriptoris, qui contra auctores omnes & monumenta antiqua scribendo aberravit. Quali errore etiam *Mæcenas Prætorius*, cujus ab initio meminimus, apud Herodianum scribitur Μαικίννας, ut Latinis esset *Mæcinnas*; quem tamen in membranis antiquis Μαικλώαν esse, testatur vir doctissimus Frid. Sylburgius Indice in Hist. Rom. scriptores minores: nec alio à Julio Capitolino nomine appellatur. Nemo etiam fuerit, qui non videat, quantum ejusmodi originationum conjecturis sit tribuendum, quas post ingens temporis intervallum pro suo sibi arbitrio cuivis excogitare licet: atque interdum quidem veræ, aut prope veritatem esse possunt; interdum vero plane falsæ, atque insuper ineptæ, quæ nihil præter risum aut commiserationem lectoris mereantur. Sane ex stirpe, moribus aut dignitate Mæcenatis caussam vellè sumere appellationis, & quasi μὴ κοινὸν aut μὴ καινὸν illum vocatum asserere; *non prudentiæ erit*, inquit Matth. Martinius Lexico Philolog. *sed audaciæ in his literis, & ἀκεφσίας cujusdam. Nec Græci* ut addit, *ad hunc modum nomina cum* μὴ *componere sueverunt, neque* παρηγορικὰ *neque* κύρια. Igitur Martinius ipse, quum 16 flexionis forma peregrinitatem sapiat, originationem ex Chaldaica lingua, unde Etruscæ origo, non inepte peti

posse censet. Chaldæis enim *Mehaken* (ubi *Scheva*, seu primum *è* breve est, & in pronunciando fere absorbetur) aut *Makën*, per *cere*, seu *e* longum, est Διθωών, *dirigens, director*; *mekahn*, Διθωίειν, *dirigere*. Hebræi *mekin directorem* vocant. Syris *mekahn, rectum* significat. Unde Chaldæis *mea Kavvana*, est *exta dirigere*, aut πλάγχνον Διθώϕν, ut nomen conveniat πλαγχνοσκόπῳ, seu *extispici*, quod ad Etruscorum disciplinam pertineret. Sed dici hæc ita quidem posse, solidi vero nihil adferri, vir doctus ipsemet fatetur. Ego vero certus sum, *Mæcenatis* vocabulũ Etruscum esse, Latina postmodum civitate donatũ, & antiquius, quam quod primum in nostri herois gratiam effingi, atque illi ex stirpe aut moribus pro cognomine tribui cœperit. Etenim hoc nomine jam olim quendam fuisse, & quidem nostri gentilem, statim in vestibulo hujus tractationis ex Silio Italico notavimus, eundemque in clade ad Cannas obiisse, integris fere duobus ante nostri *Mæcenatis* obitum seculis, si temporum rationem recte ineamus. Mæcenatem insuper alium ex Cicerone adduximus, qui annis LXXXIV. ante nostri obitum claruerit. Et M Valerius Probus Instit. Gramm. lib. II. ubi de declinatione nominum in *nas* agit, *Mæcenatis* vocabulum potius Latinum quam Græcum censuit. Nas *Latina*, inquit, *indifferenter declinabuntur, aut primæ declinationis, æ facientia genitivo, ut* Mæcenas, Mæcenæ: *aut tertiæ*, tis *facientia genitivo, ut* Mæcenatis: *Græca tertiæ sunt &c.* Ubi obiter noto, τὸ *Mæcenatis*, non tantum secundi casus olim fuisse, sed primi quoque quem nominativum dicimus: atque in vetustissimis libris, ut testis est Priscianus lib. de Accentibus, non tantum *Mæcenas, Larinas, Arpinas*; sed *Mæcenatis* etiam & *Larinatis*, nominandi casu scribi consuevisse. Tu ea de re iterum vide Vossium Art. Gramm. lib. III. cap. XXXVI. Nos Valerio scriptorem addimus & antiquissimum & gravissimum, *M. Terentium Varronem*, quem non imme-

immerito Seneca Consolat. ad Helviam cap. IIX. & Quinctilianus lib. X. cap. I. *Romanorum doctissimum* vocant, quique vitæ, qua seculi fere spacium explevit, finem fecit circa id tempus, quo maxime Mæcenas noster floruit. Is lib. VII. de L L. sub fin. meminit cognominis hujus, atque ita meminit, ut non Græcæ aut alterius id ajat esse originis, sed à loco, ut pluria alia, deductum. Adscribam verba ipsa: *Hinc quoque nomina illa, Lesas, Vfenas, Carinas*, Mæcenas, *quæ quum essent à loco, ut Vrbinas, tamen Vrbinus ab heis debuerunt dici, ad nostrorum nominum similitudinem.* Quanquam vellem clarius paullo ista Varro explicasset, & contextus esset integer, nec mutilus, aut, quod videtur, etiam corruptus. A loco *Mæcenas* esse dicitur, at locus non additur, nec conjectura facile, quis fuerit, indagari poterit. *Mæciam*, sive *Mæcium* castrum fuisse, non longe à Lanuvio, atque ab eo *Tribum Mæciam*, sive *Mæcianam* dictam, Livius lib. VI. & Festus sunt auctores. At quid hoc ad *Mæcenatis* vocabulum? ne χεῦ quidem. Lucem tamen Varroni à Plinio, nisi omnia me fallunt, dari posse existimo, si accuratius expendantur, quæ de vinis Italiæ generosioribus is tradit l. XXIV. cap. VI. ubi inter alia vina palmam obtinere ait, *à supero mari Prætutitia, atque Anconæ nascentia & quæ à palma una forte enata, Palmesia appellantur: in mediterraneo vero Cesenatia ac* Mæcenatia: *in Veronensi Rhætica &c.* Quum enim hic, præter *Palmesia*, quorum denominationem Plinius ipse seorsim notat, cætera omnia à locis, in quibus proveniunt, nominis caussam sortiantur: *Anconæ nascentia* ab urbe celeberrima; *Prætutia* seu *Prætutitia* à Prætutio Piceni, *Cesenatia* à Cesena, Flaminiæ opidis: *Mæcenatia* utique non aliunde etiam denominata erunt, quam à natali loco. Et quidem non à loco maritimo, sed mediterraneo. Nam Prætutia, Anconæ nascentia & Palmesia à supero mari accersit Plinius, sive Adriatico; Cesenatia & *Mæcenatia* in me-

25 diterraneo locat. Fuerit igitur locus iſte, ſi bene conjicimus, opidum quoddam, ſive caſtrum, *Mæcena*, ſive *Mæcenæ* dictum; in Tuſciæ ſive Etruriæ parte extrema, qua ab infero mari, ſeu Tyrrheno verſus ſuperum ſe exporrigit,& cum Apennino Flaminiæ partem meridionalem, in qua Cæſena, terminat: quod *Mæcenati & vinis Mæcenatiis* nomen dederit. Sed doctiorum hæc judicio arbitranda relinquo. Certe in medium prolaturo erat mihi

Ἐν δοιῇ μάλα θυμὸς,

Quod Callimachus ait Hymno in Jovem; niſi in conjectura hæſitantem confirmaſſet ſummus virorum *Hugo Gro-*
26 *tius*. Commodum is,quum relegendæ huic ſcriptioni operam darem, Lubecam venerat, Sueciam, poſt decennalem ad Galliæ Regem Legationem repetiturus. Unde quum ſalvum ſoſpitemque indies expectaremus, in mari naufragio primum jactatum, fama indice cognovimus; vitam denique in Roſarum Academia cum morte commutaſſe lumen illud ac columen literarum: de quo nihil tam magnificum dici aut ſcribi poteſt,quin virtus & eruditio id ſuperarit ſua.

Παῦε᾽ ἐπ᾽ ἀληθείᾳ πεπλασμένον ὀκ διὸς ἔρν@,

Et

Flos delibatus populi, ſuadæque medulla,

dum in vivis eſſet;

Nunc deſiderium relictaque cura bonorum.

Sed quo abripit me affectus, immo ſumma viri merita? Suf-
27 ficit habere nos ex iis, quæ diximus, Cilnium Mæcenatem, cui addimus porro prænomen Caji, ex Dionis lib. XLIX. Τὰ δὲ ἄλλα, inquit, ὀν τῇ πόλῃ, τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ Γάι@ Μαικήνας, ἀνὴρ ἱππεὺς, διώκησεν· *Reliquas res, non Romæ tantum, ſed per totam Italiam*, Cajus Mæcenas, *equeſtris digni-*
28 *tatis vir, adminiſtravit*. Atque ita integrum nomen erit CAIVS CILNIVS MÆCENAS: ut Cajus quidem præ-

prænomen ſit, Cilnius,non cognomen,quod putavit Lambinus comm. ad Horatii Serm. lib. 1. Sat.1. ſed nomen familiæ,Mæcenas demum cognomen à loco inditum.

CAPVT QVINTVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis educatio. 2. à pueritia. 3. In literis. 4. In utraque lingua, Græca & Latina. 5. & Philoſophicis diſciplinis. 6. Sermo λόγ@. 7. Mæcenas Epicuri ſectator. 8. Epicuri voluptas ſobria. 9. Philoſophandum paucis. 10. Socratis & Platonis ſententia. 11. Quæ limitatur. 12. Mæcenatis in armis exercitatio. 13. à literis & armis laus. 14. Pedo emendatus. 15. Horatii de Mæcenatis fortitudine locus. 16. Mæcenatis conſilium de nobilium liberis educandis. 17. Eloquentiæ laus. 18. Ingenium Mæcenatis à Seneca laudatum. 19. Mæcenatis eloquentia. 20. Sed oratio licentioſa. 21. Ejuſdem Poëtices ſtudium. 22. Poëtices oſores. 23. Laus ex Seneca. 24. Mæcenatis pietas. 25. temperantia. 26. frugalitas. 27. liberalitas. 28. pauciloquium in ſermone. 29. Pl. Sabini multiloquentia. 30. Mæcenatis candiditas animi. 31. Catilinæ diſſimulatio. 32. & Tiberii. 33. & Severi. 34. & Iuſtiniani. 35. Mæcenas jocoſus. 36. Theodori cujuſdam mores apud Ammianum. 37. Ennii verſus Mæcenati accommodati. 38. Mæcenatis pilæ exercitium. 39. Exemplo magnorum Principum. 40. Pilæ parvæ exercitium ſanitati conducens. 41. Mæcenas varicoſus. 42. Varices quid. 43. C. Mariæ varicoſus. 44. Effigies Mæcenatis ex nummo antiquo. 45. Caroli Caraffæ interitus. 46. Laus Hartvvici à Parckentin.*

1 DE educatione *Mæcenatis*, licet memoriæ nihil prodi-tum meminerim, certum tamen atque indubium eſt, educationem inſtitutionemque ἀνόλθον fuiſſe τ εὐγνείας, ſeu nobilitatis ac generis vetuſti fulgori conſentaneam: puerumque ex illuſtri familia natum, ab ineunte ætate bonis literis, omnique doctrinæ genere imbui cœptum, *erudirique artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur*, ut Livius loquitur lib. 1. *Cujus enim corpus &*

animus, ut de Cæsare argumentatur M. Antonius apud Dionem lib. XLIV. *ad omnia pacis bellique opera suffecerunt, eum omnino necessum est, ut optime educatus fuerit.* Quod fieri vix queat, ut *quisquam aliquando ad summum virtutum & rerum perveniat, qui non puer seminario virtutum concretus, à prima ætate gradibus virtutis adscenderit*, ut ait Fl.
2 Vopiscus in Aureliano & Probo. Et manifestum facient ea, quæ dicturi sumus, non alium à primis annis fuisse *Mæcenatem*, quam Claudianus lib. I. depingit Stiliconem, cui erat, ut ait,

---- *mens ardua semper*
A puero: teneriſque etiam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos: erectus & acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fastisque loqui jam digna futuris:
Iam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibat,
Spondebatque Ducem celsi nitor igneus oris
Membrorumque modus: qualem nec carmina fingunt
Semideis. quacumque alta graderetur in urbe,
Cedentes spaciis assurgentesque videbat,
Quamvis puber adhuc. taciti suffragia vulgi
Cui jam deferrent, quidquid mox detulit aula.

3 Literis sane *Mæcenatem*, ab ipsa statim pueritia, non perfunctorie tinctum, excellens adulti ostendit eruditio, quã non provecta primum ætate, atque inter arma ac lituos, & continua Reipub. negocia, sibi comparasse verisimile est. Ostendit præclarum de eruditis judicium atque in eosdem affectus & benivolentia. Ostendunt scripta non unius generis, posteritati olim consecrata, quanquam nunc vix ti-
4 tuli eorum & pauca superent fragmenta. Testatur Horatius, qui Epist. lib. I. ep. XIX. *doctum* vocat; & lib. III. Carm. Ode IIX. *doctum sermones utriusque linguæ*; Græcæ nimirum & Latinæ. Romani enim, maxime jam florente Imperio,

perio, quum non nisi è Græcorum fontibus disciplinarum ingenuarum omne genus rectè hauriri posse adverterent, plurimum operæ studiique Græcis literis addiscendis impenderunt. Ejus rei vel unus & maximus suffecerit testis Cicero, cum alibi sæpius, tum diserte Orat. pro Archia. *Erat*, inquit, *Italia plena Græcarum artium ac disciplinarum: studiaque hæc & in Latio vehementius tum colebantur, & hic Romæ propter tranquillitatem Reipub. non negligebantur.* Nec ma- 5
lè eruditissimus Barthius ut *Philosophiæ* quoque *consultum* ab Horatio *Mæcenatem* laudari arbitratur, atque id ex vocabulo *Sermonis*, qua utitur, liquere credidit Adversar. lib. XXIV. cap. XIV. *Sermo* nempe non loquutionem tan- 6
tum, sed Philosophorum insuper dicit Ἀφοσιέψις & λόγους; quales ex Platonica Philosophia Maximi Tyrii habemus λόγους, sive *Sermones*, ex Medicina Aëtii Amydeni. Et sane Cedrenus hanc ob caussam Mæcenatem ἄνδρα σοφὸν videtur dicere. Ex Sectis vero Philosophorum *Epicureæ* dedisse 7
nomen *Mæcenatem*, ex iis vero simile evadet, quæ deinceps in fragmentorum Mæcenatis recensione notabimus. Secta enim illa id temporis maxime, tum sectatorum multitudine ac nobilitate, tum scriptorum editis monumentis florebat, ac *voluptatem* suo modo summum in civili hominis vita bonum statuebat. Dico *suo modo*. Etenim Epicu- 8
rus, si Epistolæ ejus apud Laërtium credere licet, ἐ τὰς τ ἀκολάστων ἡδονὰς, καὶ τὰς τ ἐν ὀπολαύσει κύμβας, *non luxuriosorum & nepotum voluptates, & quæ in gustu & ingluvie positæ sunt*, summum bonum se statuere ait: sed νήφοντα λογισμὸν, seu *rationem sobriam*, & quæ ex hac provenit, voluptatem. Ut proinde etiam Seneca lib. I. de vita beata, cap. XII. *Epicuri voluptatem Sobriam & siccam* vocet: *sub cujus tamen nomine male-nati libidinibus suis quærant patrocinium & velamentum.* Et cap. XIII. *Epicurum sancta* ait, *& recta præcipere, & si propius accesseris, tristia, ac immerito male audire.*

Vide

Vide eundem Senecam etiam Epist. XXI. XXIII. LXVI. Ciceronem lib. I. de Finib. Ælianum Hist. Var. lib. IV. cap. XIII. & adde quæ ad Senecæ librum de Providentia collegit Theologus & Philologus clarissimus Jacobus Stolter-
9 fothus cap. I. num. III. Ita tamen Philosophiæ operam navavit *Mæcenas*, ut simul Enniani Neoptolemi illud cogitaret apud Ciceronem Tusculan. quæst. lib. I. in princ. *Philosophandum esse, sed paucis; nam omnino non placere*: atque *ut retineret ex sapientia modum, quod difficillimum* esse, in vita Agricolæ ait Tacitus. φιλοσοφεῖν ἀνὰ μαλακίας, sive, *citra molliciem Philosophari*, dixit Thucydides Hist. lib. II. Quo nomine idem Tacitus Histor. lib. IV. cap. V. laudat Helvidium Priscum, quod *ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dederit: non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita Rem-*
10 *pub. capesseret*. Socratis quidem, sive Platonis potius est sententia, lib. V. de Rep. & repetitur Polit. lib. V. & in Epist. ad Dionis propinquos; *tum demum Respub. beatas fore, si aut Philosophi eas regerent, aut earum rectores studere sapientiæ contigisset*. citantque, & laudant eam Cicero l. I. ad Q. Fratr. epist. I. Boëthius de Consolat. Philos. lib. I. prosa IV. & alii: semperque eam in ore habuisse M. Antoninum Imp. quem Philosophum à sapientiæ studio dixere, auctor est Capito-
11 linus in ejus vita. Non præter rationem tamen est, quod Philostratus lib. II. de vita Apollon. cap. IV. *Philosophiam* in Principe laudat σύμμετρον, καὶ ὑποκλῶσαν, hoc est, *moderatam & solutiorem, sive remissam*: vituperat ἀκριβῆ καὶ ὑπερεπτεινομένην καὶ φορτικήν, *accuratam atque ad summam deductam subtilitatem & superfluam*. Immo hæc eadem, nec alia Platonis ipsius mens fuit, si propius rem introspiciamus. Ita enim apud ipsum in Gorgia Callides ad Socratem: *Philosophia, ô Socrates, gratiosa res est & venusta, si quis illam moderate in adolescentia attingat. Sin autem supra modum*

modum tempus in ea contriverit, hominum est corruptela: eorum nempe, qui Remp. capessituri sunt. Itaque pergit: *Quamvis enim homo bono ingenio natura præditus sit, tamen si diutius per ætatem jam provectam Philosophetur, necessario omnium rerum imperitus evadit, quum bonum atque excellentem oporteat peritiam habere*. Hæc Plato, quem vide etiam lib. VII. de Repub. Igitur optime *Mæcenas* noster, 12
quantum in adolescentia literarum & Philosophiæ studiis, tantum mox etiam armorum exercitiis impendit, *neque quisquam ipso elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque belli aut pacis artibus serviit, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit*, ut de Scipione dicebat Vellejus lib. I. Id vero res gestæ maxime docebunt, quas sumus enarraturi. Sane utrumque, & eruditionem in 13
literis, & peritiam armorum, brevibus in ipso notavit Pedo Albinovanus in honori ejus scripto Epicedio, Eleg. I.

Pallade cum docta Phœbus donaverat artes:
Tu decus & laudes hujus & hujus eras.

Ubi commodius legi posse censeo; *hujus & ejus eras*. Vult 14
autem Mæcenatem & Palladi, armorum bellique; & Phœbo, literarum atque artium præsidi litasse, & utrinque adoream reportasse. Nec alio, quam ad fortitudinem Mæce- 15
natis bellicam respexit Horatius Epodon Ode I. quando ituro ad bellum ait:

Roges, tuum labore quid juvem meo,
Imbellis ac firmus parum?

Quæras, vult dicere, quid comitatu meo, qui imbellis sum & imbecillis, tum homo umbraticus, te virum fortissimum possim juvare? Talis igitur quum *Mæcenas* esset, non potuit 16
ipso alius consilium dare concoctius, quam Augusto de juventutis educatione dedit apud Dionem lib. LI. in Orat. de Rep. retinenda. *Hoc quoque te summopere hortor*, inquit, *ut patritii equestrisque ordinis homines, dum adhuc pueri-*

tiam agunt, ludos literarios frequentare facias: adolescentes autem factos, arma & equos tractare; utrumque publicis à doctoribus, certo stipendio conductis. Ita enim, pergit, *statim à puero discentes & exercentes omnia, quæ adultis sunt usurpanda, ad negotia omnia habebis aptiores.* Hæc nempe fundamenta sunt, sine quibus subsistere nequit res publica: hæc

——— *duo sunt, quibus extulit ingens*
Roma caput; virtus belli, & sapientia pacis,

ut Sulpitia Poëtria ait in Satyra. Cæterum *ingenio* Mæcenas fuit *maximo* & ad summa nato: quod tamen nulli disci-
17 plinarum prius applicuit, quam *eloquentiæ, bonarum artium principi*, ut Silius vocat apud Tacitum Annal. lib. XI. cap. VI. Eam enim tam diligenter coluere veteres, non privati saltem, sed summi principes; quam hodie magno Rerump. damno à plerisque negligitur. *Ars quæ præsidium fert amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis & inimicis metum & terrorem* incutit, ut Auctor ait Dialogi de claris Orator. cap. V. *quæ mucrones civilis profundendi sanguinis cupiditate furentes inhibet, destrictos jam, & vibrantes gladios cruore vacuos vaginæ reddit*, (verba sunt Val. Maximi lib. IIX. cap. IX.) & ut summatim dicam, quæ omnem vitæ
18 actionem commendat, ornat, perficit. Sentit autem magnifice de *Mæcenatis ingenio* Seneca, quanquam infensissimi in non merentem animi. Nam *ingenio fuisse virili & magno*, ait Epist. XCII. & *magni ingenii virum* vocat Epist.
19 XCIV. Nec de *eloquentia* negat, quando Epist. XIX. ait fuisse *virum ingeniosum, & magnum exemplum Romanæ eloquen-*
20 *tiæ daturum:* Sed addit: *nisi illum enervasset felicitas.* Orationem enim ejus notat *diffluentem, involutam, errantem & licentiæ plenam.* Nos de ea videbimus ubi commodum
21 fuerit, de Mæcenatis fragmentis, quæ superant, acturi. Sed neque *Poësin* insuper habuit *Mæcenas*, quam *sanctiorem & augu-*

gustiorem vocat *eloquentiam* Auctor Dialogi, quem dixi, cap. IV. neque gloriam sprevit, quæ ex ea quæritur. Id fragmenta docebunt & tituli poëmatum, ut tabulæ ex naufragio, nobis relicti. Et certe, *qui illam*, poësin dico, *agre-* 22
sti supercilio damnant, bruti sunt homines, aut ne in hominum quidem censu reponendi: atque ideo saltem vociferantur, hirudines bonæ famæ, ne aliis adsit, quod ipsis deest, inquit Scaliger pater præfat. in libros Poëtices. Optime Seneca:
Multa Poëtæ dicunt, quæ à Philosophis aut dicta sunt aut di- 23
cenda, & clariores sensus nostros facit carminis necessitas, negligentiusque audiuntur, minusque percutiunt, quæ soluta oratione dicuntur: at ubi accessere numeri, & egregium sensum certi astrinxere pedes, eadem illa velut lacerto excussa torquentur. Vide Epist. IIX. & CIIX. Sed quo dilabor? *Pietate* 24
Mæcenatem & *cultu* non vulgario Deos prosequutum, quos vana & infelix sui ævi superstitio sibi finxerat, credere nos facit consilium, quod apud Dionem loco laudato D. Augusto dedit. Hortatur siquidem Imperatorem, ut *& ipse Deos moribus patriæ receptis colat, & ad eundem cultum alios compellat: nec Deorum contemptorem aut præstigiatorem toleret*; & addit: *haud dubie nihil magni facturum, qui Deos contempserit.* Ejusdem Mæcenatis *temperantiam ac fruga-* 25
litatem, quam *maximam esse virtutem* judicat Cicero Orat. pro Dejotaro, ex Horatio colligas lib. I. Carm. Ode XX. Utrâque enim fretus, patronum cliens in rus Sabinum ab ipso sibi donatum, ad *vile vinum* & *modicis cantharis*, hoc est, parce bibendum invitat. Versus invitantis sunt:

Lene potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum levi.

Nunquam enim, ut notant hic Porphyrius & Acron, interpretesque alii, id fuisset ausus, si hominem noviset exquisitioris vini & liberalioris potus avidum. Sed vide insuper

Horatium Ode XXIX. libri III. ubi iterum Mæcenatem ad cœnam invitat, *pauperem* quidem, sed *mundam, sub parvo lare, & sine aulæis & ostro.* Et adde porro Satyram IIX. libri Serm. II. ubi in convivio Nasidieni, dum

Vibidius, Balathroque, sequutis omnibus imis, (Nomentano nempe & Porcio) *damnose bibituri, majores poscunt calices,* atque

Invertuut Allifanis vinaria tota:
Mæcenas interim, & Varius, cæterique
Convivæ lecti, nihilum nocuere lagenis.

26 *Frugalitatis* demum Mæcenaticæ argumentum non mininum illud est, quod Augusto inter alia apud Dionem, loco jam dicto, auctor est, *ut continenter vivat, nihilque prodigere videatur: sed domi parsimonia, in Repub. liberalitate*
27 *utatur.* Et ipse quidem Mæcenas in multos sane exercuit *liberalitatem;* non ut Otho Imp. apud Tacitum, *perdere sciens, donare nesciens:* aut Vitellius, *sine modo, sine judicio, donans sua, largiens aliena,* Histor. lib. I. cap. XXX. & LII. Sed ut Tiberius apud eundem Tacitum Annal. lib. I. cap. LXXV. & lib. II. cap. XLIIX. *erogandæ per honesta pecuniæ, & innocentium,* præcipue literatorum, *paupertatem levare cupiens.* Exempla dabimus ex intervallo, de amicis Mæce-
28 natis visuri. *In sermone* amavit *pauciloquium;* quod immane quantum multiloquio præstet. Ennio laudabatur olim homo *facundus* quidem, & *secunda loquens in tempore,* sed tamen *verborum paucorum:* qualem depingit Menelaum Homerus Iliad. δ. qui loqui solitus fuerit,

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως· ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Pauca quidem, at bene compta: ut vir paucûm verborum.

29 Id non æque observabat Fl. Sabinus, Vespasiani Imp. frater, de quo Tacitus Hist. lib. III. cap. LXXV. ait: *Sermonis nimius erat. id unum septem annis, quibus Mæsiam, duodecim, quibus præfecturam Vrbis obtinuit, calumniatus est rumor.* De

Mæce-

Mæcenatis pauciloquio testis Horatius, qui pauca loqui morem ejus fuisse docet Serm. lib. I. Sat. VI. ad Mæcen.

Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo;
Sed quod eram, narro. respondes, ut tuus est mos,
Pauca. abeo, revocas nono post mense.

Eidem porro Horatio Mæcenas *candidus* dicitur Epodon 30
Ode XIV. hoc est, sincerus, purus, apertus, alienus à nebula simulationis aut malivolentia: *amicitiam* potius, ut ille apud Ennium,

Atque inimicitiam in frontem promptas gerens.

Quales etiam Plocius, Varius, Virgilius, *Mæcenatis* amici, quos idem Horatius Serm. lib. I. Sat. V. vocat

---- *animas, quales neque candidiores*
Terra tulit.

Non ut Catilina, quem Sallustius lib. de bello Catilin. *cujus-* 31
libet rei simulatorem ac dissimulatorem indigitat: aut Tibe- 32
rius Imp. *cui etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine, suspensa semper & obscura verba,* ut inquit Tacitus Annal. lib. I. cap. XI. *quique nullam æque ex suis virtutibus, ut rebatur, quam dissimulationem diligebat,* ut idem ait ibid. lib. IV. cap. LXXI. ut *licet ipsum jam corpus, jam vires, nondum tamen dissimulatio desereret,* teste eodem lib. VI. cap. L. cui adde quæ habet Dion in princ. lib. LVII. Qua 33
quidem in re non tam ovum ovo, aut lac lacti magis simile fuerit, quam Tiberio similem depingit Severum Imp. Herodianus lib. II. cap. IX. *Erat,* inquit, *unus omnium mortalium ad simulandum maxime factus: sic ut ne jusjurandum quidem fallere dubitaret, si ita usus poscret: longeque aliud in lingua promptum, quam in animo reconditum gerebat.* Ne- 34
que hilum ab utroque descivit Justinianus Imp. cui Centonem Pandectarum J.C. debent. De eo ita Procopius in Anecdotis: *Fuit hic Princeps adeo veri dissimulator, ut fraudum-*

dum tegendarum & obscure ferendæ indignationis, versuteque agendi & occultandæ animi sententiæ esset absolutissimus
35 *artifex.* Sed revertamur ad Mæcenatem. Eum etiam *jocosum* appellat Horatius Epodon Ode III. hoc est: lætum, jucundum, jociſque gaudentem: ſervato tamen modo, ſive *incolumi gravitate*, ut loquitur idem Horatius in Arte Poët. Qualem Jul. Valer. Majorianum Imp. fuiſſe ait Sidonius lib. I. Epiſt. XI. *Erat*, inquit, *auctoritate ſervata, quum ſe communioni dediſſet, joci plenus.* Ὑπεράπελον dixiſſet Ariſtoteles Ethic. Nicom. lib. II. cap. VII. ſive *facetum*: uti habitum ipſum ὑπεραπελίαν dicit, ſive *facetam jucunditatem*: cujus extrema ſint βωμολοχία & ἀγροικία, *ſcurrilitas* & *ruſticitas.*
36 Fuit nempe Mæcenas talis, qualem Ammianus deſcribit lib. XXIX. Theodorum quendam apud Valentem Imp. *Claro genere natus*, inquit, *& liberaliter educatus à primis pueritiæ rudimentis, modeſtia, prudentia, humanitate, gratia, literis ornatiſſimus, ſemper officio, locoque, quem retinebat,*
37 *ſuperior videbatur, altis humilibuſque acceptus.* Fuit prorſus ad mentem Ennii, apud Agellium lib. II. cap. XXII. is

---- *cui nulla malum ſententia ſuaſit,*
Vt faceret facinus levis aut malu', doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', ſuo contentu', beatus,
Scitu' ſecunda loquens in tempore, commodu', verbûm
Paucorum; qui dicta loquive, tacereve poſſet:

quod partim nunc oſtendimus, partim in progreſſu oſten-
38 ſuri ſumus plenius. Verum & *pilæ exercitio* heroëm noſtrum aliquando uti ſolitum, iterum ex Horatio liquet Serm. lib. I. Sat. V. ubi ejus iter Brunduſium verſus deſcribit, comitantibus præter Horatium Virgilio, Cocceio, Vario atque aliis. In eo, ut ait, poſtquam Capuam pervenere, & jam

---- *muli clitellas tempore ponunt,*
Luſum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliuſque;
Namque pila lippis inimicum & ludere crudis;

Dicit

Dicit nempe Mæcenatem ex itinere ad pilæ luſum, ſe vero, una cum Virgilio dormitum iviſſe; quod nec ſibi ob lippitudinem, nec Virgilio ob cruditatem ſtomachi, pilæ luſus expediret. Indulſit autem exercitio iſti Mæcenas Au- 39
guſti exemplo apud Suetonium in vita ejus cap. LXXXIII. immo Alexandri M. apud Plutarchum in Alex. & Athenæum lib. I. cap. XIII. quos poſtmodum ſequuti M. Antoninus Philoſophus & Alex. Severus Impp. ut de illo Jul. Capitolinus, de hoc Lampridius in vitis teſtantur, ſive id fecerint animi remittendi, ſive temporis fallendi, aut etiam valetudinis cauſſa. Intelligimus enim *pilam parvam*, cujus 40
exercitium ad ſanitatem multum facere, vel ex Plinio Iuniore diſcas, qui lib. III. epiſt. I. Veſtricium Spurinnam quotidie ſcribit *luſiſſe pila vehementer & diu, atque eo exercitationis genere pugnaſſe cum ſenectute.* Pluribus ejus uſum ex Antyllo laudat Oribaſius, collect. lib. VI. cap. XXXII. Et jam ante Oribaſium Galenus peculiari libello oſtenderat, nullum exercitii genus luſui pilæ præſtare, ut quod non corporis tantum bonam valitudinem, membrorumque omnium robur conſervet; ſed animo inſuper vigorem conciliet, maximeque Imperatoribus ac militiæ præfectis competat. De corporis habitu aut ſtatura Mæcenatis, nihil 41
habeo dicere: niſi quod Acron (ſive is eſt, ſive recentior aliquis, quod notat Janus Parrhaſius lib. de quæſitis per Epiſt. ep. V.) *varicoſum* fuiſſe ajat, Comm. ad Horatii Serm. lib. I. Sat. II. Sunt autem Medicis *varices*, venæ dilatatæ, 42
maxime in cruribus, à ſanguinis melancholici ſuperfluitate, quem natura ad partes debiliores & inferiores ſolet demittere. Unde ejuſmodi vitio tentatum Julianus Imp. in L. varicoſus. D. ad ædilit. edict. *ſanum non eſſe*, recte pronunciavit; ut qui morbi quodam genere laboret: Accurſius ſtulte *ſtultum* interpretabatur varicoſum, tanquam *qui modo huc, modo illuc vaderet.* Malo hoc in utroque crure 43
labo-

laboravit C. Marius, imperator & ſepties Conſul; idque viro laborum tolerantiſſimo, ob plurimos ſtando labores exantlatos, obtigiſſe ſuſpicatur doctiſſimus Mercurialis Art. Gymnaſt. lib. VI. cap. I. De cujus Marii mira in varicibus exſecandis patientia, quum deformitatem & moleſtiam ægre ferret, videat Lector Ciceronem Tuſcul. quæſt.
44 lib. II. Plutarchum in Mario, Plinium lib. XI. cap. XLV. *Effigiem Mæcenatis*, in gratiam illorum, qui antiquitatis reliquias æſtimant & admirantur, addo ex nummo argenteo, SC^to^ in honorem ejus cuſo, cujus oppoſitum latus effigies Virgilii occupat.



Poſſedit illum olim *Carolus Caraffa* Cardinalis, Pauli III. Pontificis ex fratre nepos, vir magnæ exiſtimationis, quem tamen mox Pius IV. non ſat gravibus ex cauſſis, ſi Onuphrio Panvinio in Vitis Pontificum credimus, in S. Angeli caſtello carnificis manu ſtrangulari juſſit. A Carolo habuit *Balthaſarus à Schonaich*, eques Megapolitanus, omnis antiquitatis amantiſſimus, qui aliquot annis Cardinali familiariſſimus fuit, ſub finem vitæ Conſiliarii Provincialis di-
45 gnitate in patria functus. Ab hujus hæredibus devenit tandem ad virum nobiliſſimum & literatiſſimum, *Hartvvigum à Parckentin*, Cathedralis Eccleſiæ Ratzeburgenſis Præpoſitum, fautorem & amicum meum, dum in vivis eſſet, magnum; qui tum aliorum, quæ poſſidebat plurima, antiquitatis monumentorum, tum nummi etiam hujus copiam mihi liberaliſſime aliquando fecit.

CA-

CAPVT SEXTVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis juventus. 2. in qua D. Auguſto innoteſcit. 3. & familiaris redditur. 4. & συμβιωτὴς. 5. Συμβιωτὴ Principum. 6. apud Perſas. 7. & Romanos. 8. Mæcenas Auguſti dextera. 9. Amicorum apud Principes gradus. 10. Mæcenas Auguſti amicorum primus. 11. Numina Mæcenatis. 12. Mæcenas fortunæ filius. 13. beatus quur dictus. 14. Mæcenatis merita & labores. 15. taciturnitas. 16. fides. 17. de taciturnitate ſcrupulus. 18. qui diluitur. 19. Eutherii cujuſdam laus ex Ammiano. 20. Mæcenatis modeſtia. 21. ab Horatio laudata. 22. apud Auguſtum gratia. 23. Honores mutant homines. 24. quod fefellit in Mæcenate. 25. Mæcenas ambitus contemptor. 26. equeſtri dignitate contentus. 27. unde laus ei ſumma. 28. Mæcenas anguſto clavo tantum uſus. 29. quid anguſtus, quid latus clavus? 30. Mæcenas ex Propertio laudatus. 31. & Pedone. 32. Ejus virtutum imitator Salluſtius. 33. Philemonis Comici ſententia. 34. Conſcientiæ probatæ fructus.*

QUid rerum primis adultioris ætatis annis geſſerit *Mæ-* 1
cenas, non liquet. Non ante enim ejus ab auctoribus fit mentio, quam ex quo D. Auguſtus à morte D. Julii ad Rempub. invadendam animum adjecit. Veriſimile eſt, uſque ad id tempus privatam egiſſe vitam, atque ut adoleſcens occeperat, ingenium illuſtre altioribus ſtudiis & exercitiis dediſſe, animumque ita muniiſſe, ut firmior aliquando adverſus fortuita res agendas capeſſeret. *Doctores ſapientiæ ſequutus*, ut Taciti habent verba Hiſtor. lib. IV. cap. IV, *qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum, quæ turpia: potentiam & nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant.* Id vero factum crediderim Apolloniæ, quæ Corinthiorum fuit colonia, ubi ſub idem tempus & Auguſtus vivebat & M. Vipſanius Agrippa. Auguſtum enim Julius Cæſar, ut auctor eſt Velleius lib. II. *ad erudiendum liberalibus diſciplinis ſingularis indolem juvenis,*

eo in studia miserat : qua de re vide etiam Plutarchum in Bruto, Suetonium Octavio cap. IIX. & XCIV. & Appianum
2 ἐμφυλ. lib. III. Ibi autem fieri non potuit, ut in obscuro esset virtus, aut lateret homo summo loco & ad summa na-
3 tus, nec Augusto innotesceret atque insinuaretur. Certè ea familiaritas inter tres illos coaluisse tum videtur, quæ divelli nullo deinceps modo potuit; adeo, ut ab eo tempore nihil Augustus unquam rerum ageret, in quo *Mæcenatis* & Agrippæ consilio non uteretur: hi vero, patroni & favitoris emolumentum & commodum, unicam supremamque
4 sibi legem dictam arbitrarentur. Ab ea est, quod Plutarchus in Apophth. Lacon. *Mæcenatem* Augusti συμβιωτὴν vocat; quo nomine Augustus ipse apud Julianum Imp. in Cæsarib. Areium Philosophum dignatur, præceptorem suum, quem & maximi olim fecit, & unice amavit, ut est
5 apud Plutarchum in Antonio. Dicebantur autem συμβιωτοὶ, *familiares*, sive ut alii vocant, ὁμοτράπεζοι, *convictores*, Principum amici, consiliarii, ac benemerentes, quos mensæ adhibebant: sive, ut Honorius & Theodosius A A. loquuntur in L. præpositos. Cod. Theodos. de Comit. & Trib. Scholar. *qui divinis* (imperatoriis) *epulis adhibebantur, & adorandi Principis facultatem meruerant.* Papinius lib. IV. Silvar. in præfat. *sacratissimas epulas* appellat. & in Eucharist.

---- ---- *sacræ gaudia mensæ.*

Corippus lib. III. de Justino Imp.

---- ---- *augustæ felicia mensæ*
Gaudia, felices epulas.

Serenus Sammonicus apud Macrobium Saturn. lib. III. cap.
6 XVI. *convivium sacrum.* Istam vero Persarum consuetudinem jam olim fuisse liquet ex Xenophonte Ἀναβάσ. lib. I. Apud Herodotum quoque lib. V. Darius *Histiæum* ad se evocatum ὁμοτράπεζον & à consiliis se habiturum pollicetur.

tur. Apud eundem lib. III. *Democedes* medicus à Dario, quem sanitati restituerat, mensæ regiæ adhibetur: quem-
admodum apud Agathiam lib. II. de bello Pers. à Chosrhoë *Vranius* Philosophus. Nec minus apud Romanos 7
idem mos obtinebat. Nam & *Mæcenatem* Augustus, ut dixi συμβιωτὴν habuit, & Areium Philosophum: & Horatium *ad mensam regiam* idem vocat in Epistola ad Mæcenatem, quæ est apud Suetonium in vita Horat. Quod si quando mutante ut solet, fortuna, frigus à Principe συμβιω-
τὰς illos afflabat, à mensa vicissim arcebantur. Unde de Sexto Vestilio Tacitus Annal. lib. VI. cap. IX. *Seu composuerat*, inquit, *quædam in C. Cæsarem, ut impudicum, sive ficto habita fides, atque ob id convictu principis prohibitus &c.* Sed ad Mæcenatem redeo. Is ob familiaritatem jam dictam
Dioni lib. LIV. dicitur apud Augustum fuisse εἰς τὰ πρῶτα πα-
ρόντα, seu *primo loco habitus, & quicum πάντα ἀπόῤῥητα, secretiora omnia* communicare consueverit. Pedo Albi- 8
novanus Eleg. I. *Cæsaris dextram* vocat:

---- ---- *Tu Cæsaris almi*
Dextera; Romanæ tu vigil urbis eras.

Ubi *dexteram Cæsaris, primum à Cæsare*, aut *principem amicorum* ejus, & *adsiduum comitem* interpretatur Scaliger filius Notis ad Pedon. Eodemque sensu Joanni Sarisberiensi in dedicatione Policratici sui, Cancellarius Angliæ salutatur,

Anglorum Regis dextera fida boni.

Tacitus *continuum Principis* dixisset, qui hoc nominis tribuit Coccio Nervæ, Tiberii familiari Annal. lib. VI. cap. XXVI. aut *participem ad omne secretum*, ut vocat Antonium Natalem lib. XV. cap. L. Plautus *supremum comitem consiliis, aut socium consiliorum & participem consiliarium* Pseud. act. I. sc. I. & Mil. glor. act. VI. sc. II. qualis M. Antonino Philosopho fuit Junius Rusticus, *cum quo omnia communicabat publica*

blica priv ataque consilia, ut est apud Capitolinum in An-
9 ton. Fuit enim hoc veteris magnorum virorum consuetudinis, amicorum alios aliis præferre, & impensius colere. Et *primi omnium*, si credimus Senecæ lib. VI. de benefic. c. XXXV. *C. Gracchus, & mox Livius Drusus, instituerunt segregare turbam, & alios in secretum recipere* (Lipsius *in cubiculum interius* interpretatur in Comm.) *alios cum pluribus, alios cum universis.* Ut ita *haberent amicos primos & secundos &c.* qua de re plura diximus ad Cassiodori Formulam
10 Comitis Archiatrorum. *Mæcenas* sane in primis Augusti fuit amicis; immo omnium primus. Unde est, quod Augusti animum velut in potestate habuisse, & in quam voluit partem, inclinare potuisse dicitur. Auctor Panegyrici ad Pisonem:

Nec sua Virgilio permisit Numina soli
Mæcenas: *Tragico quatientem carmina cæstu*
Evexit Varium &c.

11 *Numina* enim *Mæcenatis*, Poëta intelligit Augustum, quem in potestate ejus fuisse, *permittendi* vocabulo clare indicatur, ut observat eruditissimus Barthius Advers. lib. XXIV.
12 cap. XIV. Atque ob eam gratiam & felicitatem ab Horatio Mæcenatem *fortunæ filium* appellatum lib. II. Serm. Sat. VI. credidit Porphyrio in Comm.

Luserat in campo fortunæ filius omnes.

Quamquam ab aliis id ad Horatium ipsum referri sciam;
13 & rectius fortassis. *Beatum* tamen eam ipsam ob caussam vocat Mæcenatem idem Horatius Epodon Ode IX.

Tecum sub alta, si Iovi gratum, domo,
Beate Mæcenas *bibam.*

14 Cæterum favorem Augusti in Mæcenatem, tum mox ab initio, tum subeuntibus maxime annis, auxerunt divini viri *labores* & *merita*; *taciturnitas* item, *fidesque* & *modestia* omnis expers ambitus. *Et labores ac merita ingentia* etiam

Seneca

Seneca agnoscit, cæteroquin, ut jam ante dixi, heroi nostro iniquior, apud Tacitum Annal. lib. XIV. cap. LIII. De 15
Agrippa enim & Mæcenate verba faciens, *Alter*, inquit, *bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro meritis ingentibus, præmia acceperunt.* Nec negat Nero, qui ibidem cap. LI. utriusque agnoscit labores: & *præmia* Augusti, *non nisi bello & periculis, in quibus juventus Augusti versata*, ipsos, *meruisse* fatetur. De *taciturnitate Mæcenatis* testis est Aur. Victor Epit. lib. I. *Augustus*, inquit, *in amicos fidus extitit: quorum præcipui erant, ob taciturnitatem* Mæcenas, *ob patientiam laboris modestiamque Agrippa.* Id repetit totidem verbis Paullus Diaconus Hist. Miscell. lib. VII. cap. XVII. A *fide* Mæcenatem laudat Pro- 16
pertius, quando lib. II. Eleg. I. ipsum vocat,

Et sumpta & posita pace fidele caput.

& lib. III. Eleg. VII. ait:

Mæcenatis *erunt vera trophæa, fides.*

Contradicere tamen de taciturnitate videtur Suetonius 17
Octavio cap. LXVI. ubi Augustum ait *desiderasse aliquando & M. Agrippæ patientiam & Mæcenatis taciturnitatem: quum ille ex levi rigoris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenam se relictis omnibus contulisset, & hic secretum de comperta Murenæ conjuratione uxori Terentiæ prodidisset.* Videtur contradicere, inquam, nec enim re- 18
vera id facit. Quum unius hujus facti exemptio, celebrem alioquin viri virtutem fuisse, manifesto indicet: atque amor in conjugem fervens, ac pene ultra modum, ut suo loco dicemus, Murenæ, uxoris fratri, citra Domini periculum salvando, commissam taciturnitatis rupturam non parum excuset. Idque eo magis, quod de Murenæ in proditione illa conscientia Dio lib. LIV. dubitare videatur: cujus locum hac de re in progressu damus. Ammianus certe lib. XVI. 19
unice non alio nomine laudat Eleutherium, Constantii

Imp. Cubiculi Præpositum, quam quod *ita fidem, virtutem coluerit amplam, ut, non prodidisse aliquando arcanum, nisi*
20 *tuendæ caussa alienæ salutis, arcesseretur.* De Mæcenatis *modestia*, deque *contemptu ambitus*, communis in aula vitii, res ipsa loquitur. Quod *modestiam* enim attinet, quæ ut Tacitus ait Annal. lib. XV. cap. 11. *neque summis mortalium spernenda est, & à DIs æstimatur*: erat quidem Mæcenas *homo*, ut de C. Mario scribit Sallustius in bello Jugurth. *veteris prosapiæ, & multarum imaginum; aberat tamen contemptor animus, commune nobilitatis malum*; sive *naturalis nobilitatis superbia*, ut nominat Velleius lib. II. nec cadebat in ipsum quod M. Antoninus Imp. ait lib. I. de vita sua; quod Πάππων οἱ καλεόμενοι ὑπατρίδαι ἀγροικώτεροί εἰσι. *omnino patricii, sive generosiores qui dicuntur, inhumaniores cluent.*
21 Quo fit, ut magnis ab Horatio differatur laudibus, & cælo attollatur, quod licet majores habuerit nobilissimos, nec tota Etruria se generosiores agnoscat alios; tamen non contemnat humili loco aut plebejis parentibus editos, probitate saltem & morum ingenuitate præstantes. Versuum ipsorum aliquot jam ante, alii tamen fini adduximus: cæteros, quod plusculi sint, non adscribo. Lector, ubi voluerit, Horatium ipsum adeat, legetque eos Serm. lib. I. Sat. VI.
22 Augustus quidem subinde *Mæcenatem* non desinebat honorare πολλαῖς καὶ μεγάλαις δωρεαῖς, *multis ampliscque præmiis*, ut loquitur Tiberius apud Dionem lib. LVI. in Orat. funebri Augusti. Pollebat insuper Mæcenas tanta apud Augustum gratia, ut multos Consularium ac Triumphalium potentia anteiret, ac quibus vellet, honores ac magistratus conciliaret. Nunquam tamen satis fidere voluit blandientis fortunæ favori, nec efferri animo, aut altioribus inhiare; sed reprimere se potius, ac *sapienter*, Horatii sui monitu lib. II. Carm. Ode X.

Contrahere vento nimium secundo
Turgida vela.

Unde

Unde, licet ex Catonis sententia Orig. lib. V. *soleat plerisque* 23
hominibus rebus secundis & prolixis atque prosperis animus excellere, & superbia atque ferocitas augescere & crescere: magnique honores, verba sunt Dionis lib. XXXVI. *immodicæque potestates hominum animos in fastum attollant atque corrumpant*: fefellit id tamen in Mæcenate. Siquidem suis 24

---- ---- *virtutibus ille*
Fortunam domuit, nunquamque levantibus alte
Intumuit rebus. sic mens, circumflua luxu
Noverat intactum vitio servare vigorem,

ut Claudiani verbis utar ex Panegyri in Probum. Multo 25
minus vero altiora concupiscere aut ambire velle, animum induxit: quod non lateret ipsum, quamquam omnia facilia sibi apud Augustum essent, tamen *qui dignitatibus fulgere velint*, necessum habere, ut dum eas ambiunt, *danti supplices fiant, dumque præire cæteros honore cupiunt, poscendi humilitate vilescant*, ut est apud Boëthium de Cons. Philos. lib. III. prosa IIX. Maluit itaque sola equitis dignitate con- 26
tentus vivere, & quod Plinius in præf. lib. I. de Catone ait, *repulsis honoribus, tanquam indeptis gaudere.* Maluit semper *in potestatibus*, ut de Mario iterum dicit Sallustius loco antedicto, *eo modo agitare, ut ampliore, quam gerebat, dignus haberetur*: quam altiori loco constitutus, fortunæ subinde mutantis ludibrio se exponere. Hæc una nempe palma est, qua omnes vicit laurus, omnes triumphos! Hæc est, ob 27
quam

---- *doluit Fortuna, minorem*
Se confessa viro,

ut loquitur Claudianus Epithal. Palladii & Sennæ. Sed audiamus de re tota Dionem lib. LV. *Virtutis* Mæcenatis *maximum id indicium fuit, quod Augusti cupiditatibus quum resisteret, tamen ab eo inter familiares habitus, reliquis omnibus se probarit: & quod, quum plurimum apud illum posset,*

adeo

adeo ut ab eo multis honores & magistratus impetraret, tamen animo nihil elatus, in equestri statu vitam exegerit. Quæ
28 ad verbum repetit Zonaras Annal. Tomo II. At Velleius lib. II. *Non minus Agrippa*, inquit, *Cæsari carus erat* (Mæcenas) *sed minus honoratus : quippe vixit angusto clavo bene contentus; nec majora consequi non potuit, sed non tam concu-*
29 *pivit*. Erat enim *angustus clavus* equitum gestamen, quo à Senatoribus, qui *lato clavo* utebantur, differebant. Hinc *equites angusticlavii : Senatores laticlavii* dicti. Quid tamen proprie *latus clavus* fuerit, quæque ejus olim forma, de eo

Et Critici certant, & adhuc sub judice lis est.

Tu post omnes alios, quibus dictus hic Hylas, unicum vide Octavium Ferrarium de re Vestiaria lib. III. cap. XII. qui
30 optime tibi satisfecerit. Nos pergimus, & Dioni ac Velleio tertium addimus Propertium, utrique ὁμόψηφον, qui loco paullo ante adducto pluribus Mæcenatis modestiam & ambitus contemptum prosequitur. Versus ipsos adscribo.

At tua, Mæcenas, *vitæ præcepta recepi:*
Cogor & exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secureis,
Et liceat medio ponere jura foro;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque ornare tuam, fixa per arma, domum;
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes;
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras;
Velorum plenos colligis ipse sinus,
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Indicia, & venies tu quoque in ora virum.

Hoc enim vult Pöeta, Mæcenatem, modo voluisset, aut Consulatus dignitatem facile indipisci potuisse, aut imperatorem bellique Ducem fieri: at sua ipsum se fortuna maluisse

luisse involvere, modicumque honorem maximo anteferre, atque hanc summam esse ejus laudis. Idem breviter 31
tangit Pedo Eleg. I.

Majus erat potuisse, tamen nec velle triumphos :
Major res, magnis abstinuisse, fuit.

Et notavit obiter Tacitus Annal. lib. III. cap. XXX. ubi de 32
Sallustio Crispo agit. *Atque ille*, ait, *quanquam prompto ad capessendos honores aditu*, Mæcenatem *æmulatus, sine dignitate Senatoria multos Triumphalium Consulariumque potentia anteiit*. Scivit nempe dæmonium hominis *Mæcenas*, 33
vero verius esse Philemonis illud Comici, quo sat magnus dicitur,

Οὐχ ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχεται,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων
Ἔχειν δυναμένῳ, καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
Non ille, qui manus suas parvo abstinet;
Ingentia ast impune qui quum tollere,
Sibique habere possit; animo temperat.

Scivit *magni animi esse, magna contemnere, ac mediocria mal-* 34
le, quam nimia, ut ait Seneca Epist. LXXXIX. Scivit cum 35
Theodorico Gothorum Rege apud Cassiodorum lib. I. Variar. cap. IV. *hunc esse probatæ conscientiæ fructum, ut quamvis summa quis potuerit adipisci, judicetur tamen ab omnibus plus mereri*. Adeat, cui ita collubitum, de hac ipsa Mæcenatis modestia differentem Scipionem Amiratum negli suoi Discorsi sopra Tacito lib. IV. discorso VI.

CAPVT SEPTIMVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis ex eruditione humanitas.* 2. *Artium ac disciplinarum effectus.* 3. *Mæcenas in omnes bonus.* 4. *Sævitiæ ac crudelitatis expers.* 5. *unde laus ei apud Senecam.* 6. *Idem nemini nocuit, etiam quum posset.* 7. *Augustum in iram pronum reprimens.* 8. *Ejus rei exemplum.* 9. *Aulicorum in Principibus monendis παῤῥησία.* 10. *Sed cum moderatione.* 11. *Augusti moniti patientia.* 12. *& Iuliani.* 13. *Augusti præceps animadversio in filiam.* 14. I. *Cæsaris prudentia.* 15. *Augusti desiderium in Mæcenatem mortuum.* 16. *Senecæ super hoc exclamatio* 17. *Mæcenas dissimulationis insimulatus à Seneca.* 18. *Senecæ ipsius dissimulatio.* 19. *Mæcenatis moderatio in potentia.* 20. *gratia apud aulæ proceres.* 21. *& Populum Rom.* 22. *Populi Rom. applaudendi in theatro mos.* 23. *Plausus Mæcenati datus.* 24. *de eo motum dubium.* 25. *Solutum ex Antonio Bosio.*

1 DE multijuga *Mæcenatis* eruditione paullo ante diximus. Eam, ut umbra corpus, comitabatur summa hu-
2 manitas & comitas. Neque aliter esse id poterat. Disciplinas enim & *bonas artes qui sinceriter cupiunt appetuntque, ii vel sunt humanissimi*, inquit Agellius lib. XIII. cap. XV. adeoque juxta Ovidium lib. III. de Ponto Eleg. IX.

——— *didicisse fideliter artes*
Emollit mores, nec sinit esse feros:

ut proinde, dicente Plutarcho in Coriolano, οὐδὲν ἄλλο μεσῶν δύμφυείας ἀπολαύωσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον, ὅσον ἐξημεροῦσιν τὴν φύσιν ὑπὸ λόγου καὶ παιδείας, τῷ λόγῳ δεξομένην τὸ μέτριον, καὶ τὸ ἄγαν ἀποβαλοῦσαν. *Nullum majus sit bonum, quod acceptum bonitati Musarum homines ferre debeant, quam quod doctrina seu disciplina molliantur & mitigentur ingenia, modum-*
3 *que tenere & nimia omnia vitare discant.* Itaque humanitatis his studiis imbutus Mæcenas

---- ---- *nulli gravis, omnibus æquus*

extitit: certus animi, quod *in bonis fortunæ summa laus sit, non*

non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse aliis propter abundantiam fortunæ: ut opes & copia non superbiæ viderentur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem ac materiam dedisse, ut ait Cicero lib. II. de Orat. Itaque nihil tam proprium sibi esse voluit, quam omnibus prodesse, nemini nocere, atque in id amicitia Principis recte uti, non abuti. Utrumque optime! *Pulchrum* enim *est, & magna laude dignum*, inquit Plinius Junior lib. I. epist. XVII. *amicitia Principis in hoc uti, quantumque gratia valeas, aliorum honoribus experiri.* Detestandum vero, eo quenquam esse animo, quo ille, in quem invehitur Chorus apud Senecam Tragicum Octaviæ actu II.

Colit hic Reges, calcet ut omnes,
Perdatque aliquos, nullumque levet:
Tantum ut noceat, cupit esse potens.

Nihil etiam tam procul à se habuit *Mæcenas*, quam sævi- 4
tiam ac crudelitatem. Ac licet officii ratione ac Præfecturæ aliquando cogeretur esse severior, *fuit* tamen, ut de Juliano Imp. loquitur Ammianus lib. XXV. *sine crudelitate terribilis & paucorum vitia cohibens, minabatur ferro potius, quam utebatur.* Testimonium non certius aliunde, quam 5
ex hoste petemus. Ita enim de *Mæcenate* Seneca Epist. XCIV. *Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit, gladio, sanguine abstinuit: nec ulla alia re quid posset, quam licentia ostendit.* Laus mehercule maxima, & moderatio summa in potentia ultima! Itaque nec nocuit cuiquam, etsi 6
potuerit, nec vel nocere voluisse visus fuit. Testis Pedo Eleg. I. de ipso & Cæsare amico loquens;

Omnia quum posses, tanto tam carus amico,
Te sensit nemo velle nocere tamen.

Id unum potius persuasum sibi habuit, non alia ratione spectari animum innocenti benivolentia præditum, quam si, ut Comicus in Sticho loquitur act. I. sc. I.

Quoi malefaciendi est potestas, ne faciat id, temperat.

Unde & Augusto apud Dionem lib. LII. salutare dat consilium, *ne quando abutatur potentia sua, neque hujus diminutionem putet esse, si non prorsus omnia faciat quæ possit, sed quanto magis omnia quæ statuerat, posset perficere, tanto magis curet, ut quæ velle deceret, vel-*
7 *let.* Immo Augustum sua natura in iram & vindictam pronum, ubi res exigebat, liberrime monere, & ab ira, quantum in se erat, solitus fuit avertere, atque ut iterum cum Comico ex Bacchid. loquar, *malacissare.* Certe Dion lib. LV. *Mæcenatem* vocat τὸν πρὸς τὰς ὁρμὰς αὐτοῦ ἀνθιστάμενον, *cupiditatibus Augusti resistentem:* & addit: Mæcenatis *enim egregia tum in aliis rebus opera usus fuit Augustus; tum vero, si cubi ira impotentius efferretur, utilem sibi habuit, à quo ab ira ad mansuetio-*
8 *rem animum reduceretur.* Rem ipsam idem Dion memorabili plenius ostendit exemplo. *Præsente aliquando* Mæcenate, inquit, *Augustus pro tribunali sedens, quum multos esset morte damnaturus, prævidens hoc fore* Mæcenas, *quum per circumstantium coronam ad ipsum irrumpere, ac proxime assistere nequiret, hæc verba in tabella scripsit:* Surge vero tandem carnifex. *Eamque quasi aliud quid indicantem in sinum Augusti projecit: qua lecta, is statim surrexit, nemine morte*
9 *mulctato.* Quæ ad verbum repetit Zonaras Annal. Tom. II. & Cedrenus in Hist. Fuit vero maxima hæc παῤῥησία & libertas Mæcenatis, haud scio an alii facile imitanda. *Libera* enim *responsa Reges contumeliosa vocant,* inquit Seneca lib. III. de Ira cap. XX. Itaque licet qui Principibus sunt à consiliis, *non omnia Principum, honesta,* ut Tacitus ait Annal. lib. II. cap. XXXIIX. *& inhonesta laudare;* aut, ut ibid. lib. XI. cap. XXXIV. loquitur, *suspensa, & quo ducantur, inclinatura re-*
10 *spondere;* sed libere eos monere debeant, ubi opus: tamen ut potius *specie obsequii regant Principem, ad omniaque, quæ agenda*

agenda fuerint, quieta industria adsint, monet idem Tacitus Histor. lib. III. cap. I. & ducant potius ad moderata, quam trudant; nisi libertate nimia extremam sibi perniciem accersere cupiant. Verum is erat Augustus, qui ut 11
Tiberius de ipso ait apud Dionem lib. LVI. *amicos ore libero loquentes laudaret, adulatores odio haberet, & ex libertate amicorum in dicendo maximam capere solebat voluptatem.* Erat ea mansuetudine, *ea amicorum,* uti Tacitus de Galba ait Hist. lib. I. cap. XLIX. *sine reprehensione patientia,* ut liberrimam istam corrigendi libertatem in Mæcenate non ferret tantum, nec infensior ipsi redderetur: sed vitium magis animi agnosceret, monitumque se ab amico lætaretur: *emendans* insuper, *quæ bene reprehensa viderentur,* ut simili in re de M. Antonino Philosopho loquitur Jul. Capitolinus. Verumque in Augusto fuit, quod Joannes Sarisberiensis lib. VII. de nugis Curial. cap. XXIV. ait: *Liberæ reprehensionis medelam sana mens minime aspernatur.* Docet id porro Dion, quando ita pergit, lib. LV. *Neque vero hæc reprehensio* (Mæcenatis) *stomachum Augusto movebat, sed gaudebat potius, quantum ipsum sua natura & necessitas rerum ad iram, etiam præter decorum, provexisset, tantum amicorum libertate corrigi.* Quo eodem plane animo etiam 12
Julianus Imp. fuit, si Ammiano credimus lib. XXII. Etenim & ille, *levitatem agnoscens commotioris ingenii sui, præfectis proximisque permittebat, ut fidenter impetus suos aliorsum tendentes, ad quæ decebat, monitu oportuno frenarent: monstrabatque subinde se dolere delictis, & gaudere correctione.* Uterque adamussim optime, & exemplo Principibus omnibus imitando! *Ea* enim *demum laus grata esse potestati debet excelsæ, quum interdum & vituperationi gestorum pateat locus,* ait idem Ammianus lib. XV. Sed redeo ad Mæcenatem, cujus reprehensiones & monita, ut facile ferebat Augustus: ita mortem monitoris postmodum graviter doluit.

Μαικήνᾳ πλουτήσαντι & ἥλιγησε, inquit Dion. Desideravit nempe, hoc vita functo, qui animi iræque minus potentem retinere potuisset. Rem exemplo ostendemus. Quum Juliam filiam haberet Augustus ultima impudicitia & adulteriis infamem, animi impotens publicatis domus principalis criminibus in Pandateriam insulam primum, mox Rheginorum opidum eam relegavit. Non cogitans, *tacenda* potius, *quam vindicanda fuisse*, *quorum turpitudo in semetipsum rediret*, & rectius fecisse Cæsarem, qui *in P. Clodium, Pompeiæ uxoris* (quam repudiaverat) *adulterum testis citatus* (*quamvis mater Aurelia & soror Iulia apud judices omnia ex fide retulissent*) *negavit se quidquam comperisse: repudiasse saltem uxorem, quod suos tam suspicione, quam crimine judicaret carere oportere*, ut verba habent Suetonii in Julio cap. LXXIV. At quum interposito tempore Augusto in locum iræ subiisset verecundia, pœnitens & gemens, quod non illa silentio pressisset, quæ tam diu nescierat, donec loqui turpe esset, sæpe exclamavit, ut Seneca ait lib. VI. de benef. cap. XXXII. Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa aut Mæcenas vixissent. Et addit Seneca mirabundus: *Adeo tot habenti millia hominum, duos reparare difficile est! Cæsæ sunt Legiones; & protinus scriptæ. fracta classis; & intra paucos dies natavit nova. Sævitum est in opera publica ignibus; surrexerunt meliora consumptis: tota vita Agrippæ & Mæcenatis vacavit locus.* Hæc Seneca; qui tamen solens more suo cum *Mæcenatem*, tum Agrippam, cui alias parsisse videtur, traducit. *Non est*, inquiens, *quod existimemus Agrippam & Mæcenatem solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent.* Verum, ut candorem Mæcenatis, dissimulationis expertem, paullo ante laudavimus: ita profecto exemplum proxime ex Dione allatum, nullam dissimulationem sapit. Scapha ibi scapha appellatur, & ex suo ingenio Mæcenatem judicat Seneca, de cujus assen-

sentationibus suo loco videbimus: *Mæcenatem* porro animi mansuetudo & moderatio non Augusto tantum acceptum reddidit, sed proceribus etiam aulæ & populo insuper ac vulgo, ut *quamvis gloria anteiret omnes*, ut de Jugurtha loquitur Sallustius, *omnibus tamen carus esset:* aut ut de Theodoro apud Valentem Imp. Marcellinus lib. XXIX. ait, *altis humilibusque acceptus.* Raro certe felicitatis potentiorum; & qui gratia apud Principes valent, exemplo! quorum sæpe *potentia nimia ruit super ipsos*, ut de Seneca ait Plinius lib. XIV. cap. IV. De procerum favore in *Mæcenatem* testis est Dion, loco ante laudato, ubi de ipso ait, quod licet inter familiares fuerit Augusti, plurimumque apud eum valuerit, tamen *καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ἠρέσκετο: cæteris etiam omnibus complacuerit:* interim *magnitudinem & gravitatem retinens, invidiam & arrogantiam effugiens*, ut de Germanico loquitur Tacitus Annal. lib. II. cap. LXXII. Populo quam gratus fuerit, *plausus* indicat, quo post gravem ex morbo decubitum, & improvisam in theatro apparitionem, publice exceptus fuit. Ita enim consueverat Romæ fieri veteri consuetudine, ut Principibus, ac post eos summatibus viris, gratiaque & dignitate conspicuis, ac bene merentibus, ubi publice in theatris, hoc est, ludorum & spectaculorum locis comparerent, honoris caussa & testandæ venerationis Pop. Rom. adsurgeret, fausta ac felicia acclamaret, manibusque plausum daret: ingratos atque odio habitos fibilis exploderet. Et *plausus* ejusmodi, *clamoresque, quibus*, ut Livius ait lib. XXXV. *lætitia effusa vulgi significatur*, tanti fiebant, ut de iis dicere cum Cassiodoro posses Variar. lib. VI. Ep. XIIX. *Gratior nobis est lætitia faventis Pop. Rom. quam copia pretiosissimi metalli:* aut cum Cicerone Philippica XIV. *Is verus triumphus est, quum bene de Repub. meritis testimonium à consensu civitatis datur.* Rem totam exemplis illustrare, nec operæ pretium esse puto,

nec

nec noſtri eſt inſtituti. Adeant, quibus ita viſum, poſt viros doctos alios eruditiſſimum Franc. Bernardinum Ferrarium lib. II. de Acclamat. & Plauſu cap. XV. & ſeqq. Meminit *plauſus Mæcenatiani* Horatius lib. II. Carm. Ode XV. ubi ad Mæcenatem ipſum ait:

---- ---- *Te Iovis impio*
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, celeriſque fati
Tardavit alas, quum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit ſonum.

Et jam ante meminerat lib. I. Carm. Ode XX.

----- *Datus in theatro*
Quum tibi plauſus,
Care Mæcenas *eques, ut patroni*
Fluminis ripæ, ſimul & jocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Ubi Porphyrio & Acron per *theatrum* intelligunt *antiquum Pompeji*, idque non procul abfuiſſe aiunt à Vaticano Colle. Verum theatrum illud, quum ab iſto Colle, qui hodie Vaticanus vocatur, in quo Baſilica eſt D. Petri cum Palatio, longiſſime diſtet, quæri poſſet, qua ratione ex plauſu Populi in theatro Pompeji fieri potuerit Echo in Vaticano Colle & ripis Tyberis? *Echo* enim eſt, quam Horatius tum hoc in loco, tum Ode XII. vocat *jocoſam imaginem*, quaſi *imitaginem*, ut vult Porphyrio, quod voces humanas imitetur: Auſonio Epiſt. XII. *vocalis imago*. Id dubium ut ſolvamus, ſciendum eſt, Collem Vaticanum olim latius ſe extendiſſe, atque omnes iſtos Colles inter ſe conjunctos, à Ponte Milvio, uſque ad alteram Tiberis partem, oppoſitam Aventino, inter quos & Janiculus comprehendebatur, uno Collis Vaticani nomine appellatos. Facta itaque Echo illa putanda eſt ex reflexione plauſus in theatro Pom-

Pompeji ad Janiculum, Collis Vaticani partem. Vide plura apud Antonium Boſium, Romæ Subterran. lib. II. cap. I.

CAPUT OCTAVUM.

SUMMARIA.

I. Mæcenatis ſub D. Iulio vita privata. 2. quo ſublato Auguſtus Romam contendit. 3. apparente circa Solem Corona. 4. & Mæcenas Reip. & conſiliis adhibetur. 5. Ovidii annus natalis. 6. Bellum Mutinenſe. 7. cui interfuit Mæcenas. 8. Mæcenatis res geſtæ ex Propertio. 9. Auguſtus à Senatu honores petit. 10. qui Caſſio & Bruto deferuntur. 11. Auguſtus Antonio reconciliatur. 12. Triumviratus. 13. Auguſtus & Antonius Caſſium Brutumque ad Philippos vincunt. 14. ubi iterum Mæcenatis enituit fortitudo. 15. qui & Horatium ex bello ſervat. 16. & Auguſto inſinuat. 17. Bellum Peruſinum. 18. concitante Fulvia. 19. cui itidem interfuit Mæcenas.

AD rerum belli paciſque tempore in Repub. à Mæcenate geſtarum momenta tranſimus. Eorum autem, quod ante monui, nulla apud auctores mentio vivente D. Julio: quod tum privatus etiamnum literis vacaret cum Octavio Julii Cæſaris ex ſorore Julia nepote, quem *Auguſtum* deinceps S. P. Q. R. dixit. Hunc Cæſar in Juliorum familiam adoptarat, hæredemq; ex dodrante teſtamento ſcripſerat. Cæſare itaque anno V. C. Io CCIX. ante Salvatoris natalitia XLII. in quincto Conſulatu, quẽ cum M. Antonio gerebat, in Curia Pompeji interfecto, Auguſtus Apolloniâ ad Urbẽ contendit, tum hæreditatis adeundæ, tum avunculi necem vindicandi cauſſa, nec forte ſine ſpe adſerendi ſibi temporis ſucceſſu Imperii etiam majeſtate. Ingreſſuſque eſt felici auſpicio, viſo die ea, quæ XI. Aprilis erat, circa Solem circulo varii coloris, qualis in arcu iridis eſſe ſolet, quem *Halonem* Græci, Latini *Coronam* dixerunt, ut auctores ſunt

Vellejus lib.II. Seneca lib.I. Nat. quæſt. cap. II. Plinius lib.
4 II. cap.XXIIX. Jul. Obſequens de Prodig. cap. CXXIIX. Rebus igitur gerendis ſe accingente Auguſto, *Mæcenatis* ſimul virtus emicare & innoteſcere, atque hujus conſiliis ille deinceps niti. Annus igitur fuit ab V. C. Ↄ CC X. ante na-
5 tum Chriſtum XLI. *Ovidio* Poëtæ natalis; *Ciceroni*, juſſu M. Antonii interfecto, emortualis. Eo adverſus Antonium, qui rerum ſummam ad ſe trahere nitebatur, maximeque Auguſto adverſabatur, & Mutinæ, Flaminiæ opido, Decimum Brutum ſibi reſiſtentem obſidebat, bellum à Senatu decernebatur, adminiſtrandi partibus C. Vibio Pan-
6 ſæ, & A. Hirtio Coss. atque Auguſto, tum Prætori, demandatis. Proximante ergo inter ſe horum atque Antonii exercitu, acies utrinque inſtruitur, biduumque integrum ancipiti marte pugnatur. Exuitur tamen caſtris tandem Antonius, & victoriam Auguſto relinquit ſoli,

Dum pereunt fato Conſul uterque pari;

Hirtius in prælio, Panſa paucis poſt diebus ex vulnere. Eo-
7 rum qui fortiter hic pugnarunt, aut conſiliis Imperatori præſto fuerunt, non minimam partem fuiſſe *Mæcenatem*, ſcimus ex Propertio lib.II. Eleg. I. ubi ſcribit:

8 *Quod mihi ſi tantum Mæcenas fata dediſſent,*
Vt poſſem heroas ducere in arma manus.
Bellaque reſque tui memorarem Cæſaris, & tu
Cæſare ſub magno cura ſecunda fores.
Nam quotiens Mutinam, aut civilia buſta Philippos,
Aut canerem Siculæ claſſica bella fugæ, &c.
Te mea Muſa illis ſemper conjungeret armis,
Et ſumpta & poſita pace fidele caput.

Hæc enim verſuum Poëtæ eſt ſententia: ſi heroo carmine res geſtas Auguſti deberet aut poſſet deſcribere, *Mæcenatem* ſemper ſecundam ſibi futuram curam. Sive enim de bellis aliis, ſive de eo ad Mutinam eſſet acturus, ubivis *Mæcena-*

tem ſibi occurrere Auguſto adjungendum, cui tam in pace & bello fidus ſemper fuerit & ad latus. Mutinenſi 9
bello depugnato, Conſulatum ſibi petebat Auguſtus, dignitateſque alias, quas Antonio nondum victo Senatus ipſi jam decreverat. At Senatus Antonii clade animoſior 10
factus, nihil eorum Auguſto præſtare, ſed potius detrahere: Bruto vero triumphum, pluraque alia cum Macedonia; Caſſio Syriam; Sexto Pompeio rem navalem decernere. Ea res quum peſſime haberet Auguſtum; Caſſio ve- 11
ro & Bruto, Cæſaris interfectoribus ſe imparem videret; reconciliari ſatagebat Antonio, qui cum Lepidi copiis ſibi reſtantes conjunxerat. Nec diſplicuit id Antonio, aut diſſenſit Lepidus; ſed manus & exercitus junxere tandem, 12
& Triumviratum in quinquennium inter ſe conſtituerunt. Inter Antonium inſuper & Auguſtum contracta fuit affinitas, & privigna Antonii deſponſata Auguſto, ut notat Vellejus lib.II. Lepido itaque Romæ Conſule relicto, Auguſtus & Antonius in Brutum Caſſiumque moverunt, qui ad urbem Philippos prope Strymonem fl. in Macedonia, Cajum Norbanum & Decillium Saxam, Auguſti Antoniique Legatos obſidebant. Commiſſa eſt pugna ambiguo ſuc- 13
ceſſu, & variante non ſemel fortuna; quæ tamen tandem ab Auguſti & Antonii partibus ſtetit. At Brutus Caſſiuſque præ dolore & animi deſperatione, non ſuis quidem, ſed alienis ſibi manibus lethum conſciſcentes, parricidii pœnam exſolverunt. Accidit id anno V.C.Ↄ CC XI. ante redemptionem generis humani XL. M. Æmilio Lepido & L. Munatio Planco Coss. Emicuit autem in hac etiam pugna 14
Mæcenatis iterum virtus & fortitudo, quod tum ex Propertio patet, qui adducto loco etiam

---- *civilia buſta, Philippos,*

ad *Mæcenatis* res geſtas ſpectare innuit: tum vero diſertius adfirmat Pedo Eleg.I. ubi de Mæcenate ait:

Pulvere in AEmathio fortem videre Philippi:
Quam nunc ille tener, tam gravis hostis erat.

Vult hoc Pedo, *Mæcenatem* in pugna ad Philippos in Æmathia, quæ pars Macedoniæ, in pulvere bellico, seu conflictu ipso, tam gravem hostibus incubuisse, quam in pace te-
15 ner aut mollis forte fuerit judicatus. Verum hoc etiam bello Philippensi depugnato, quum inter eos, qui à Bruti Cassiique partibus steterant, *Horatius Flaccus Poëta* deprehenderetur, Tribuni militum officio functus, *Mæcenas* homini docto & veniam ab Augusto impetravit, atque ut non infimum inter amicos locum indipisceretur, effecit. Meminit rei Suetonius in vita Horatii, ubi de ipso ita scribit: *Bello Philippensi excitus à Bruto Imperatore, Tribunus militum meruit: victisque partibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparavit. Ac primo* Mæcenati, *deinde Augusto insinuatus, non mediocrem locum in amborum amicitia re-*
16 *tinuit.* Meminit Sidonius Apollinaris in præfat. Panegyrici, quem Julio Valerio Majoriano dixit:

Et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique sequuto,
Carminis est auctor, qui fuit & veniæ.

17 Bellum Philippense ex brevi intervallo excepit *Perusinum in Etruria*, quod agrorum divisio concitavit, L. Antonio & Servilio Vatia Coss. anno V. C. Ↄ CCXII. ante Deum hominem natum XXXIX. Augustus enim dividere eos ve-
18 teranis, pretium militiæ satagebat: at Fulvia M. Antonii conjux, mulier, ut Plutarchus in Antonio vocat, φύσει πολυπράγμων καὶ θρασεῖα, *natura importuna ac ferox, & gladio cincta virilis militiæ* (verba sunt Flori lib. IV. cap. V.) L. Antonium Consulem, *cui semper alias pessimum ingenium*, ut irritum id faceret, instigabat: ac *nihil muliebre præter corpus gerens*, ut Velleius scribit, lib. II. *omnia armis tumultuque miscebat.* Nec fefellit eam conatus

---- *patuitque furens quid fœmina posset.*

Igitur

Igitur Augustus mox anno sequenti Consulem à Senatu hostem judicatum, una cum ipsa Fulvia intra muros Perusiæ in alterum usque annum obsidione cinxit, turpique & nihil non experta fame ad deditionem tandem coëgit, urbe ipsa in cineres etiam subsidente, Cn. Domitio Calvino & C. Asinio Pollione Coss. In hoc bello *Mæcenatem* Au- 19
gusto iterum præsto fuisse, testis est eo quem adduxi loco Propertius, quando ad laudum *Mæcenatis* præconia pertinere ait,

Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ,

& alia plura, quæ ibi recenset.

CAPUT NONUM.

SUMMARIA.

1. *Augustus bellum in Pompeium meditatur. 2. mox Scriboniam Mæcenate parario ducit. 3. Principum in contrahendis amicitiis scopus. 4. I. Cæsaris exemplum. 5. & Augusti. 6. De Augusti matrimonio cum Scribonia locus Appiani. 7. Augustus Scriboniam repudiat. 8. Novæ inter Augustum & Antonium simultates. 9. quas Cocceius componere satagit. 10. & componit adhibito Mæcenate. 11. Fœdus Brundusinum. 12. Locus Appiani. 13. Principum amicitia & inimicitia qualis. 14. Antonius fœderi firmando Octaviam ducit. 15. Meminit fœderis Horatius. 16. Ejus versus. 17. Mæcenatis & Cocceji laus.*

AB expugnata Perusia Augustus in Sextum Pompeium se 1
parabat, cui rem navalem à Senatu concreditam dixi. In ipso autem apparatu certior fit de Pompeji potentia, & quod per matrem & Legatos agat cum Antonio de belli societate ineunda. Itaque veritus, ne bello cum utroque 2
decertandum sibi foret, parario *Mæcenate* Scriboniam, sororem L. Scribonii, qui Pompeio socer erat, uxorem duxit: ut ea occasione, ubi opus esset, transigere sibi cum Pompeio liceret. Scilicet non tantum, quod Ovidius 3
lib. I. de Ponto Eleg. III. credidit,

Vulgus amicitias utilitate probat:

Sed ſummi etiam Principes ex re ſua eas metiuntur, in
4 matrimoniis maxime contrahendis. Julius Cæſar, ut eſt in ejus vita apud Suetonium cap. XXVII. quum conditionem ſuam nondum ſatis firmatam videret, ut Pompeji M. opera poſſet carere, nova affinitate ipſum obligandum ſibi cenſuit, & Octaviam, ſororis ſuæ neptem, quæ C. Marcello nupta fuerat, conditione ei detulit, ſibique ejuſdem filiam in matrimonium petiit, Fauſto Sullæ deſtinatam. Non quod ſolidam quæreret amicitiam & duraturam, ſed, ut ait Suetonius, *ad retinendam ejus neceſſitudinem ac voluntatem*, qua tum ſibi erat uſus, ac *ne res novas moliretur* Pom-
5 pejus, quod vult Dion lib. XXXIIX. Eadem hic intentio Auguſti, qui *Mæcenatis* interventione uxorem ſibi Scriboniam petit, *fœminam gravem*, ut vocat Seneca Epiſt. LXX. mox, ubi viſum fuerit, repudiaturus. Nec alio idem conſilio, ut in loco dicemus, Octaviam ſororem Antonio, novis obortis diſſidiis, uxorem dedit. Pluribus aut recentio-
6 ribus exemplis res minime indiget oſtendi. Sed audiamus de Scriboniæ matrimonio Appianum de bellis civil. lib. v. *Cæſar autem* (Auguſtus) *putabat ſe Antonium, Pompeiumque & Ahenobarbum ſuperaturum Legionum numero, quas habebat jam ſupra* X L. *Sed quum navem nullam haberet, nec tempus ad ædificandas ſuppeteret, timebat ne illi, quibus* Io *erant, oras Italiæ circumerrando, famem inferrent. Id cogitans, quamvis nobilium aliquot virginum offerretur ei conditio,* Mæcenati *per literas injunxit, ut cum Scribonia, ſorore Libonis, qui Pompeio ſocer erat, tranſigeret; ut per hanc occaſionem poſſet pacem cum Pompeio, ubi opus eſſet, facere: quibus cognitis, Libo ſuis mandavit, ut eam incunctanter Cæſari traderent.* Habet eadem Dion lib. XLIIX. niſi quod *Mæcena-*
7 *tem*, matrimonii pararium non nominet. Duxit itaque Auguſtus Scriboniam, atque ex ea anno inſequenti Juliam quidem

quidem filiam ſuſcepit, M. Vipſanio Agrippæ poſtmodum elocatam, ipſo tamen filiæ natali repudium matri miſit: ſive *ob morum ejus perverſitatem*, ut ajebat, *ſive quod Liviam jam plus amaret*, ſive quod Libonis opera non amplius in- 8
digeret. Interim inter ipſum & Antonium

---- *male gratia ſarta*
Nequicquam coit & reſcinditur,

ut Horatii verbis utar ex lib. I. Epiſt. III. & recruduerunt vix lenitæ ſimultates. Eas tamen ut denuo componeret, nihil 9
non egit L. Cocceius, quem Appianus ἑκατέρῳ φίλον, καὶ κοινὸν ἀμφοῖν, *utrique Imperatori amicum* vocat. Is igitur anno V. C. Io CCXIX. ante natum Salvatorem XXXIIX. Cn. Domitio Calvino, & C. Aſinio Pollione Coss. nunc Antonio tentato, nunc Auguſto; tandem ab Antonio impetravit, ut Pompeium in Siciliam revocaret, atque Ænobarbum cum poteſtate mitteret in Bithyniam, remque eo deduxit, ut manifeſto jam Antonius in fœdus iterum cum Auguſto inclinaret. Ibi Auguſti exercitus Legatos ad u- 10
trumque Imperatorem miſit, qui intervenientibus Cocceio, Pollione & *Mæcenate*, diſſidentium animos in gratiam reduxerunt, *fœduſque* ſanciverunt, quod à loco *Brunduſinum* vocant. Deſcribit omnia prolixe Appianus loco 11
citato, cujus ultima tantum verba, quæ maxime ad Mæcenatem ſpectant, ſubſcribemus. *Conſulebat igitur* (Cocceius 12
Antonio) *ut Pompeium ab alienis vaſtandis revocaret in Siciliam, atque aliquo ablegaret AEnobarbum, donec redintegrarentur fœdera. Hinc accedentibus etiam precibus matris, quæ è gente Iulia erat, pudor morabatur Antonium, ne ſi tentata pax minus ſuccederet, rurſum recurrendum eſſet ad Pompeiana auxilia. Verum matre ſpem faciente, quam Cocceius confirmabat, quaſi curaturus ea, de quibus inter ipſos convenerat: Antonius acquievit, & Pompeium quidem in Siciliam, AEnobarbum vero cum poteſtate miſit in Bithyniam. Id ubi*

cogno-

cognovit exercitus Augusti, Legatos elegerunt, qui utrumque Imperatorem adirent. Hi cohibitis eorum querelis, quippe non ad judicandum electi, sed ad pacem sanciendam: adhibitoque Cocceio, ut communi amborum amico, & ex Antonianis Pollione, è Cæsarianis Mæcenate, *decreverunt præteritarum offensionum oblivionem mutuam, & amicitiam in posterum.*

13 Redierunt igitur denuo in gratiam Augustus & Antonius, more summis Principibus familiari: qui, ut Polybius ait lib. I. *natura quidem neminem hostem habent vel amicum, sed ex suo commodo amicitias inimicitiasque metiuntur*: aut, ut Dion monet lib. XLIIX. *in bellis non jure, sed utilitate sua ac necessitate amicos inimicosque suos æstimant, ac pro oportuni-*

14 *tate temporis eosdem & hostes suos faciunt & necessarios.* Cæterum quo firmiori staret talo tam sæpe interpolata amicitia, novi iterum matrimonii vinculo arctius firmandam, conveniens videbatur. Igitur pacis auctores, *Mæcenas*, Cocceiusque & Pollio, ut Octavia, Augusti soror, cujus maritus Marcellus commodum fato functus erat, Antonio desponderetur, effecerunt. Ita enim pergit Appianus. *Quoniam autem Marcellus nuper obierat, maritus Octaviæ, sororis Cæsaris, postulaverunt pacis auctores, ut frater eam Antonio collocaret, moxque desponsâ dictum feliciter, insequentibus faustis acclamationibus totius exercitus, utrique bene precantis, quæ per totum diem, totamque noctem continuatæ sunt.*

15 Meminit pacificationis hujus etiam Horatius Serm. lib. I. Sat. V. qui cum Heliodoro Rhetore Roma ad temporis profectus, Terracinæ, quæ tum Anxur vocabatur, *Mæcenatem*, Cocceium & Fonteium Capitonem, Antonii amicum, ad dissidia componenda ituros, præstolatus fuit, comitemque iis deinde sè præbuit itineris, quod totum Satyrico more

16 describit. Versus qui in rem præsentem faciant, sunt isti.

Millia tum pransi tria repsimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.

Huc

Huc venturus erat Mæcenas *optimus, atque*
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. interea Mæcenas *advenit, atque*
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.

Ubi obiter noto maximum integritatis præconium, tum 17
Coccejî, tum *Mæcenatis*, quod fuerint

---- *aversos soliti componere amicos:*

non lites serere, ubi nihil litium esset, neque litibus gliscentibus oleum igni addere. Qua in re uterque & boni viri & Consiliarii functus fuit officio: nec illos imitatus, *qui omnes potentes*, ut Dion ait lib. XLV. *desiderant inter sè discordes esse, quique propter eos, qui ex inimicitiis voluptatem capiunt, etiam suas ad insidiandum ipsis operas adjungunt*: quique *tanquam mali artifices*, quod Livius habet lib. V. *opus quærunt, & semper ægri aliquid esse in Repub. volunt, ut sit, ad cujus curationem adhibeantur.* Tales autem qui sunt, magnas sæpe turbas excitant, magnorumque tumultuum sunt caussæ. Quum enim illi, *qui*, ut Dionis verbis iterum utar, *post vehementes inimicitias in gratiam redeunt, multa leviuscula ac temere accidentia in suspicionem rapiunt, atque in universum omnia, tanquam consulto ea malam in partem facta, ad conceptum ante odium apponunt: Quid futurum* speramus, *si eam ad rem illi accesserint, qui inter ipsos obversantur, & benivolentiæ prætextu subinde aliquid annunciantes, animos jam ante irritatos magis exasperant?* Necessum est oriri inde novas simultates, novas inimicitias, ac tandem bella, horrida bella. Sed redeamus in semitam à qua fuimus digressi.

CAPUT DECIMUM.

SUMMARIA.

1. Reconciliatio Augusti & Antonii dubia. 2. Regnorum societates infidæ. 3. Alexandri M. sententia. 4. & Cæsaris ac Pompeji exemplum. 5. Augusti & Antonii novæ simultates. 6. Augusti rerum angustia. 7. in rem tamen suam versutia. 8. Mæcenatem Antonio obviam mittit. 9. qui fœdus Tarentinum inter utrumque sancit. 10. De hoc locus Plutarchi. 11. Augustus in Pompeium movet. 12. Clademque accipit. 13. & consternatur. 14. Mæcenatemque Populo firmando Romam mittit. 15. Appiani in eam rem locus.

1 NOn diu potis fuit durare inter Augustum & Antonium illa ab amicis facta reconciliatio; ut inter æmulos & competitores summæ potestatis. In diversum enim subinde utrumque raptabat *interminata cupiditas imperii*, quam ita vocat Velleius lib. II. & ut Statius loquitur Thebaid. lib. I.

---- ---- *regendi*
Sævus amor, ruptæque vices, jurisque secundi
Ambitus impatiens, & summo dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

2 Non tantum enim est *arduum*, quod Tacitus monet Annal. lib. IV. cap. IV. *eodem loci potentiam & concordiam esse*;
3 sed fere impossibile. Ut proinde Alexander Macedo apud Justinum lib. XI. cap. XII. non veritus fuerit rescribere Dario: *Neque mundum posse duobus Solibus regi, neque orbem*
4 *summa duo regna, salvo statu terrarum habere.* Certe eo animo animati erant Augustus atque Antonius, ut & hic non ferret parem, nec ille superiorem: & sic *de principatu laborarent, tanquam duos tanta imperii fortuna non caperet,*
5 ut de Cæsare & Pompeio Florus loquitur lib. IV. cap. II. Anno igitur V. C. Io CC XVI. ante natum Christum XXXV. M. Vipsanio Agrippa, & L. Caninio Gallo Coss. novæ inter utrum-

utrumque oboriri cœperunt simultates, adhuc tamen, ut Capitolinus in Maximo & Balbino loquitur, *tacitæ, & quæ intelligerentur potius, quam viderentur.* Erantque id tem- 6
poris Augusti res ambiguæ, exercitu ejus à Pompeio, qui cum bellum in Sicilia gerebat, male excepto & naufrago; & peiora sibi ab Antonio imaginabatur. Ingeniosus tamen 7
idem usque erat in sua commoda; rebusque prospere fluentibus propositi quidem tenax, iisdem vero fluctuantibus ad reconciliationes pronus promptusque. Itaque An- 8
tonio è Græcia in Italiam cum classe CCC navium trajicienti *Mæcenatem* obviam misit, qui offensas excusaret, & aversum in belli societatem contra S. Pompeium retraheret. Verba sunt Appiani lib. V. de bellis civil. *Verum Augustus ingeniosus ad propria commoda, misit* Mæcenatem *ad Antonium, qui melius edoctum de recens exortis inter ipsos controversiis, ad belli societatem* (contra S. Pompeium) *pertraheret. Id si minus succederet, cogitabat Legiones onerariis in Siciliam trajicere, omissoque mari in terra bellum gerere. His curis anxio nuntiatur, Antonium societatem non recusare.* Interea Antonius è Græcia Italiam versus cum classe Ta- 9
rentum appellit, ubi tandem Octavia, Cæsaris soror & jam Antonii conjunx, adjunctis sibi *Mæcenate* & Agrippa, rem totam ad exitium spectantem prudentia sua inter utrumque composuit, *fœdusque Tarentinum*, ut scriptores vocant, ictum fuit, Brundusino tribus annis posterius. Ea de re ita Plutarchus in Antonio: *denuo ex delationibus quibus-* 10
dam incensus in Cæsarem, navigavit cum CCC *navibus versus Italiam, & non recipientibus classem Brundusinis Tarentum decurrit. Inde Octaviam, quæ comitata eum fuerat ex Græcia, orantem dimittit ad fratrem. Prægnans tum erat, atque alteram jam ex ipso filiolam pepererat. Hæc occurrens Cæsari in itinere, adjunctis sibi amicis ejus*, Mæcenate *& Agrippa, convenit ipsum. Multis autem oravit questibus, ne permit-*

terent, ut ex fortunatissima fœmina evaderet miserrima; Nunc enim omnes mortales, ajebat, suspicere se, duorum imperatorum, alterius conjugem, alterius sororem. Quod si deteriora consilia, pergebat, valuerint, & extiterit bellum: utri vestrum, incertum est, vincere vel vinci. Mea vero sors utrinque calamitosa. His fractus Cæsar, venit pacatus Tarentum. Videri de hac transactione etiam potest Dion lib. XLIIX.

31 Placitum autem inter alia in fœdere isto fuit, ut Augustus Antonio Legionariorum XX M ex Italia mitteret, quibus in Parthos uteretur: Antonius vicissim Augusto CXXX. naves Tarentum missas sine mora traderet. Cum his navibus Statilius Taurus à Tarento solvens, Augustus cum suis è sinu Puteolano, & Lepidus auxiliator cum aliis ex Africa, Siciliam diversis in locis invadere, Pompeiumque in ea oppri-
12 mere cogitabant. Cumque jam ab omni latere Siciliæ immineret, Auster interveniens Lepidi onerarias multas subvertit; mox Austro succedens Africus Augusti naves partim ad saxa, partim inter se, in sinu Velino collisit; Taurus vero reflante vento Tarentum rediit, ut pluribus per-
13 sequuntur Appianus & Dion locis adductis. Classe itaque Augusti & sociorum ea tempestate fracta, metuebat Imperator, *ne quid seditionis*, ut Justini verbis utar ex lib. II. c. XIII. *moveret fama adversi belli, in majus, sicuti mos est, omnia ex-*
14 *tollens.* Itaque *Mæcenatem*, qui idem secum periculum exantlarat, Romam misit, firmandis animis Populi, qui annonæ insuper caritate premebatur, & Pompeio ob patrem, Pompeium M. non parum etiamnum favere videbatur.
15 Auctorem do rursus Appianum, ejusque verba: *Post hunc non exigui momenti casum Mæcenas Romam missus est, propter consternatos ob nondum abolitam ex animis civium Pompeii Magni memoriam, cujus virtus ipsis nondum exciderat: novos vero colonos ipse magna festinatione Italiam obeundo, recreabat à pavore.*

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

SUMMARIA.

1. Mæcenas cum Augusto Siciliam petit. 2. Augustus navali prælio superatur. 3. Romæ ad seditionem res spectant. 4. cui sedandæ Mæcenas eo mittitur. 5. qui in quosdam animadvertit. 6. seditiones adversum Augustum plures. 7. Augustus à Pompeio ad bellum navale solicitatur. 8. & victoria potitur. 9. Pugnæ interfuit Mæcenas. 10. Idem in civilibus bellis nunc Augusto præsto fuit. 11. nunc Romæ degit, Vrbi Italiæque præfectus. 12. Regum in præfectis illis ordinandis mos. 13. Meminit præfecturæ Mæcenatis Dion. 14. & Velleius cum Tacito. 15. & Horatius cum Seneca. 16. Mæcenas vigil & custos Vrbis. 17. Officium præfecti Vrbis. 18. Custos Vrbis Gallicus. 19. Custos Vrbis ebrius. 20. Augustus in Pannonias movet. 21. post in Dalmatiam. 22. Augusti & Antonii amicitia varians. 23. quam tandem Augustus penitus rescindit.

ANno mox sequenti, qui fuit ab V. C. Io CC XVII. ante 1
æram Christianam XXXIV. L. Gellio Poblicola & M. Cocceio Nerva Coss. Augustus classe reparata, cum Agrippa & *Mæcenate* Siciliam denuo petit. Et Agrippa quidem cum Demochare Pompeji Duce ad Mylas acerrimo prælio navali confligit, & adulta primum nocte victoria potitur. Augustus vero Taurominium invasurus obsidetur à 2
Pompeio, dumque navibus erumpere conatur, vincitur; relictoque exercitu, quem in terra habebat sub imperio Cornificii, fuga salutem quærit. Agrippam tamen, ut quam ocyssime Cornificio suppetias ferat, per literas monet. Ea 3
dum ibi aguntur Romæ quidam, rerum novarum cupidi, turbas ac seditiones moliebantur. Itaque alia rursus vice 4
Mæcenas Romam destinatur istis sedandis: quod cæteris prolixe narratis brevibus attingit Appianus ἐμφυλ. lib. V. *In Vrbem igitur*, inquit, *iterum* Mæcenatem *Augustus misit, propter quosdam rerum novarum cupidos, in quorum aliquot animadversum est.* Verum quæ hæc seditio fuerit, ac qui 5

ejus auctores, in quos animadverterit *Mæcenas*, id nec Appianus notavit, nec quisquam historiæ Augustæ scriptorum
6 ad hunc annum alius. Plurium certe seditionum & insidiatorum adversus Augustum meminit Seneca lib. de brevit. vitæ cap. v. *Dum Alpes*, inquit, *pacat, immixtosque mediæ paci & imperio hostes perdomat, dum ultra Rhenum, Euphratem & Danubium terminos movet, in ipsa Vrbe Murenæ, Cæpionis, Lepidi, Egnatiorum in eum* (Augustum) *mucrones acuebantur*. Et lib. I. de Clementia cap. IX. ordinem inter seditiosos & insidiatores constituere videtur, ubi ait: *Salvidienum Lepidus sequutus est, Lepidum Murena, Murenam Cæpio, Cæpionem Egnatius*. Quem ordinem fere sequitur Suetonius Octavio cap. XIX. nisi quod Salvidienum præterit, & Egnatio plures subjungit alios. De Salvidieni autem conjuratione intelligi non potest Appianus, quod ea triennio hanc antecesserit, atque in annum V. C. Io CC IV. inciderit, quod ex Dione lib. XLIIX. & Appiano ipso satis liquet. Lepidi vero seditio quinquennio hac eadem posterior in annum V. C. Io CCXXIII. primum incidit, ut mox cap. XIV. docebimus. Ex quo liquet aliam fuisse hanc apud Appianum seditionem & aliorum, inter duas illas Salvidieni & Lepidi mediam, ad quam sedandam & puniendam hac vice missus fuit *Mæcenas*: cujus tamen auctores, quos habe-
7 mus, non meminere. Sed dimisso hîc Mæcenate, regredimur unde digressi fuimus. Reversus ex intervallo & per ambages Augustus ad exercitum, à Pompeio denuo ad prælium navale provocatur. At ille, quamvis à præliis maritimis jam aliquantum abhorreret, ut in quibus infeliciter hactenus pugnarat; tamen ne quid detrectare videretur, quod pusillanimitatem arguere posset, conditionem
8 accepit. Pugna committitur ad *Pelorum*, Siciliæ promontorium, non longè à Scylla & Charybdi, victusque Pompeius victoriam cedit Augusto, & ad Antonium profugit,

XXIIX.

XXIIX. navibus submersis, cæteris igne crematis. Huic 9
prælio, Roma interim redux, itidem interfuit *Mæcenas*, fortisque Ducis & militis officio functus est, partemque hostilium navium igne exussit. Tangit hoc Propertius in principio libri II. quando ad res gestas Mæcenatis pertinere scribit

——— *Siculæ classica bella fugæ.*

Explicat disertius coætaneus Pedo in Epiced. Eleg. I. ubi de Mæcenate ait:

Illum piscosi viderunt saxa Pelori
Ignibus hostilis tradere ligna ratis.

Cæterum licet toto civilium tumultuum decursu *Mæcenas* 10
in maximis rerum gerendarum momentis Augusto fere præsto esse cogeretur, & belli pacisque consilia cum Agrippa moderari. Tamen subinde ipsum Augustus Romam 11
solebat remittere: immo non modico temporis intervallo & Urbi & toti Italiæ cum potestate præesse jussit. Fecitque 12
id exemplo veterum Regum & magistratuum, *quibus*, ut Tacitus hac in re loquitur Annal. lib. VI. cap. XI. *domo profectis, ne Vrbs sine imperio foret, deligebatur qui jus redderet, ac subitis mederetur*. Meminit *Præfecturæ urbanæ Mæce-* 13
natis Dion lib. XLIX. jam tum ad annum V. C. Io CC XIIX, his verbis: *Reliquas res non Romæ tantum, sed per totam Italiam, isto ac diu etiam sequenti tempore Cajus* Mæcenas, *equestris dignitatis vir administravit*. Meminit Velleius 14
lib. II. post bellum Actiacum ad annum V. C. Io CC XXIV. quod intervallum est VI. annorum. *Tunc Vrbis custodiis*, inquit, *præpositus* C. Mæcenas, *equestri sed splendido genere natus vir*. Nec reticuit Tacitus, ubi loco proxime adducto ait: *Augustus bellis civilibus* Mæcenatem, *equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit*. Eodem respi- 15
cit Horatius lib. III. Carm. Ode XXIX. ubi ad Mæcenatem ipsum scribit:

Tu

Tu civitatem quis deceat ſtatus
Curas, & Vrbi ſolicitus times.

Et lib. eod. Ode IIX. invitans Mæcenatem ad hilaritatem, ait:

Mitte civiles ſuper Vrbe curas.

16 Nec omiſit Seneca in ipſa Mæcenatis criminatione Epiſt. CXIV. *Nam etiam, quum abſentis partibus Cæſaris fungeretur &c.* Quemadmodum nec alia cauſſa eſt, quod Pedo Mæcenatem *vigilem* vocat *Vrbis Romanæ, & cuſtodem* ac *Cæſaris obſidem*, in Epiced. Eleg. I.

---- ---- *Tu Cæſaris almi*
Dextera, Romanæ tu vigil Vrbis eras.

Atque iterum, ad obtrectatorem:

Num minus Vrbis erat cuſtos, & Cæſaris obſes?
Num tibi non tutas fecit in Vrbe vias?
Nocte ſub obſcura quis te ſpoliavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipſe, latus?

17 *Officium* enim *Præfecti Vrbis erat diſpoſitos habere milites ſtationarios, ad tuendam populorum quietem & referendum quid ageretur*, inquit Ulpianus in L. I. §. quies. D. de Offic. Præf. Urbi. Unde & Præfectus Urbi Papinio lib. I. Silvar. epigr. IV. is dicitur,

Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.

18 Et Juvenalis Sat. XIII. Rutilium Numatianum Gallum, ſub Domitiano Urbi præfectum, vocat *cuſtodem Gallicum*
19 *Vrbis:* Seneca Epiſt. LXXXVI. L. Piſonem Coſſum, Urbi præ-
20 fectum, *cuſtodem Vrbis ebrium.* Sed mittimus hæc. Auguſtus, quum à Pompeio nil amplius ſibi timeret, anno V. C. Ↄ CC XIIX. ante natum Salvatorem XXXIII. Coss. L. Cornificio & Sexto Pompeio *(alius hic fuit ab Auguſti hoſte, nec ex Pompeii M. familia)* in Pannonios movet, qui Romanos
21 inſignibus injuriis affecerant. Sequenti anno in Dalmatia, quæ rebellarat, in prælio lapide in genu ſauciatur. Inde Statilio

Statilio Tauro ad belli reſidua conficienda relicto, Romam 22
redit, & Conſulatum cum L. Vulcatio Tullio init; à quo tamen poſt paullo ſe abdicat, & in Dalmatiam revertitur, operam daturus, ne miles in otio ibi corrumperetur, ſed patientia periculorum firmaretur. Contigere hæc anno 23
V. C. Ↄ CC XX. ante Chriſtum natum XXXI. Atque hoc quidem intervallo quieta inter Auguſtum Antoniumque, ac tranquilla fuere omnia, ſed ad modum *ignis*,

Suppoſiti cineri doloſo:

quem quævis aura exſufflare facillime poſſet. Et quanquam utrique eſſet σωιεχὴς μεταβολὴ (ut Appianus de ipſis loquitur ἐμφυλ. lib. V.) πρός τε τὰς ὑπονοίας ὲκ φιλαρχίας, καὶ ἐς τὰς πίστεις ὑπὸ χρείας. ita ut *continenter momento levi mutarentur, vel ad ſuſpiciones ex regnandi libidine, vel ad fiduciam, quoties poſtularet neceſſitas:* Auguſtus tamen *tandem,* 24
verba ſunt Suetonii Octavio cap. XXII. *Antonii ſocietatem, ſemper dubiam & incertam, reconciliationibus variis male focillatam, abrupit.* Nimirum, ut Ammianus ait, lib. XXI. *tutiſſimum ratus, inimicum ſe ex profeſſo monſtrare ei, cujus ex præteritis motus conjectabat ut prudens, ne per amicitias fictas inſidiis falleretur occultis.* Unde bellum inter utrumque recruduit, & majoribus quam unquam antea flammis in ſequens tempus exarſit.

CAPVT DVODECIMVM.

SVMMARIA.

1. Coss. Romani absentem Augustum vituperant. 2. qui criminationes diluit & Antonium accusat. 3. ejusque testamentum profert. 4. unde Antonio consulatus adimitur. 5. Cleopatræ bellum indicitur. 6. Antonius Octaviam repudiat. 7. Bellum ingens oritur. 8. Ab Augusto stat Occidens. 9 ab Antonio Oriens. 10. Augustus in Græciam trajicit. 11. classem instruit maxime navibus Liburnicis. 12. Liburnarum descriptio. 13 Eis præfuit Mæcenas. 14. Ea de re locus Horatii. 15. Notatur Torrentius. 16. Horatius explicatur ex Pedone. 17. & Propertio. 18. Mæcenas an præfuerit ut Tribunus. 19. Auctoris opinio. 20. ex Acrone firmata. 21. Horatius ex Turnebo & Pulmanno explicatus. 22. aliter à Barthio. 23. Pugna ad Actium 24. ubi vicit Augustus. 25. Sed virtute Mæcenatis & ope Liburnarum.

ANnus itaque erat V. C. Io CCXXI. ante ortam salutem XXX. quando absente commodum Augusto, ejus anni
1 Coss. Cn. Domitius Ænobarbus & Socius Nepos, uterque Antonianarum partium, ipsis Kal. Januariis multa ver-
2 ba in Antonii laudem & Augusti vituperium fecere. At Augustus in Urbem reversus, & diluit ea, & plura contra Antonium dixit, quæ & demonstraturum se pollicebatur. Coss. itaque sibi metuentes ad Antonium abeunt, multique simul ex Senatorum numero, quod deinde, ut facerent, aliis etiam ultro permisit Augustus. Ab Antonio vicissim non pauci ad Augustum transivere, & maxime conscii ejus secretorum. Hæc vero & Augusto simul revelarunt, atque ut testamentum Antonii nanciscerentur, quod is jam fecerat, & apud Vestales deposuerat, effecerunt. Testamentum Augustus in concionem attulit recitavitque.
3 Quod factum, licet injustissimum censeretur, ut Dion ait lib. L. & pluribus notat Casaubonus ad Suetonii Octavium cap. XVII. tamen contenta testamenti ejusmodi erant, ut omnem facti Cæsaris invidiam tollerent, summamque Senatus

natus Populique indignationem in Antonium concitarent. Itaque Antonio Consulatus, qui decretus jam erat, 4
adimitur, omnisque alia concessa potestas: Cleopatræ, 5
apud quam hærebat, aut cui servitutem potius serviebat, bellum indicitur: decretoque laudantur, si, qui ab Antonio sint, segregent sese, ac discedant. Antonius contra Octa- 6
viam, Augusti sororem repudiat, multaque agit alia, quæ ulterius Pop. Rom. visa sunt offendere; quæ pluribus prosequitur Dion. Magno igitur utrimque molimine omnia 7
ad bellum parantur. Ab Augusto stant Italia, Hispania, 8
Gallia, Illyrium, Africa, Sardinia insulæque vicinæ: Anto- 9
nio adhærent Asia, Thracia, Græcia, Macedonia, Ægyptus & Reges Insulæque adjacentes; illi Occidens pene universus, huic Oriens: sive ut Poëta ait lib. XII. Æn.

Hinc Augustus, agens Italos in prælia, Cæsar
Cum Patribus Populoque, Penatibus & magnis DIs;
Hinc ope barbarica, variis Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis, & littore rubro,
AEgyptum, viresque Orientis & ultima secum
Bactra vehit.

Nec diu moratus Augustus, tertium jam cum collega M. 10
Valerio Messalla consul, anno V. C. Io CC XXII. ante Deum hominem natum XXIX. ineunte vere, adsumptis secum Senatorum primis, cum exercitu in Græciam ad Actium promontorium trajecit, ubi classem habebat Antonius. Instru- 11
cta autem maxime fuit Augusti classis navibus *Liburnicis*, quæ à *Liburnis* Illyrum populis sic dicebantur. Eas leves, 12
celeres & expeditas præ aliis fuisse Appianus auctor est in Illyricis, & Vegetius lib. IV. de re milit. cap. XXXIII. *Prædatorias, rostratas & robustas* vocat Suidas in λιβυρνικαί. In celeritate earum celebranda multus est Silius Italicus. lib. XIII. ubi ait:

Quanta est vis agili per cærula summa Liburnæ,
Quæ, pariter quotiens revocatæ ad pectora tonsæ
Percussere fretum, ventis fugit ocyor, & jam,
Quam longa est, uno remorum præterit ictu.

13 *Liburnis* his *Mæcenatem* præfuisse rectè colligit Acron ex Horatio, ubi is prædicat fidem Mæcenatis, fortitudinemque animi, qua promptus paratus esset Augustum in expeditione non tantum comitari, sed suo ipsius etiam periculo omne Cæsaris subiturum, aut mortem pro salute ejus
14 oppetiturum. Versus sunt Epodon Ode 1.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula.
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, *tuo.*

15 Lævinus quidem Torrentius, Episcoporum superioris seculi doctissimus, Comm. ad Horatii hunc locum, existimare se scribit, celebri ad Actium pugnæ non interfuisse Mæcenatem, tum temporis Romæ & Italiæ præfectum. Et tale quid conjicit liquere ex Dionis lib. LI. & Virgilio, qui lib. VI. Æn. in pugnæ Actiacæ descriptione Mæcenatis sui non meminerit: ac propterea Horatium putat carmen suum scripsisse tantum sola opinione futuræ profectionis.
16 Verum Dion eo loci de iis tantum agit, quæ post depugnatam pugnam acta fuere, non in ipsa: Virgilius quoque non singula pugnæ persequi in animo habuit, aut Duces enumerare omnes. Interim, quod Horatius futurum dixit, id factum testatur coætaneus Mæcenatis Pedo. Ait siquidem ipsum in pugna ista ante circumque Augustum stetisse, ut fortem militem, quum naves Niliacæ sive Ægyptiæ, mare omne texissent; & mox, Mæcenatem Antonii milites ex Oriente adductos, victosque ad Nili caput fugam capessentes, persequutum memorat. Versus addo ipsos:

Quum

Quum freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
Fortis erat circum, fortis & ante Ducem.
Militis Eoi fugientis terga sequutus,
Territus ad Nili dum fugit ille caput.

Neque alio it Propertius lib. II. eleg. 1. quando ad Mæce- 17
natis facta resque gestas pertinere ait, quod visa fuerint

Actiaca in sacra currere rostra via.

Intelligit enim rostra navium Antonii in Actiaca pugna captarum, quæ Augustus ad basin sacrarii Divi Julii suspendi fecerat, ut notat Dion libro jam dicto. Quo tamen nomine Liburnis præfuerit *Mæcenas*, non adeo liquet. Antonius 18
Mancinellus, vir doctus, Comm. ad locum Horatii, postquam ex Vegetio loco adducto cap. XXXII. docuerat, post præfectum in classe Liburnarum, fuisse *Tribunum* singularum Cohortium, post hos in Liburnis singulis *Navarchos*; censet *Mæcenatem* vel fuisse *Tribunum* alicujus *Cohortis*, aut *Navarchum* cujusdam *Liburnæ*; potius tamen *Tribunum*. Ego vero *Liburnis omnibus* ipsum præfuisse propius veritatem crediderim. Quanquam enim, ut Velleius auctor est 19
lib. II. dextrum Julianarum navium cornu M. Lario, lævum Amulio commissum fuerit, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium; atque ita toti classi, ut ex omne genus navibus constabat, triremibus, quadriremibus, Liburnis, præfuerit Agrippa: tamen nihil prohibet, quin peculiaris sub ipso classis Præfecto supremo, Liburnis ordinandis præpositus fuerit Subpræfectus. Exemplum consimilis fere dispositionis inter classis præfectos habemus in classe Pompeji, de qua ita Cæsar lib. II. de bello civili: *Præerat Ægyptiis navibus Pompeius filius; Asiaticis D. Lælius & C. Triarius; Syria-* 2
cis C. Cassius; Rhodiis M. Marcellus cum C. Coponio; Liburnicæ *atque Achaicæ classi Scribonius Libo & M. Octavius. toti tamen officio maritimo M. Bibulus præpositus cuncta administrabat: ad hunc summa imperii respiciebat.* Ac simile quid 20

de *Mæcenatis Subpræfectura* affirmare videtur Acron, ſeu quis alius Horatii interpres, quando ait: *Ad Actiacum bellum iturus Cæſar Auguſtus, Liburnis præpoſuit* Mæcenatem. Idem innuere puto Horatium ipſum, dum ſimpliciter ait, Mæcenatem iturum Liburnis, & pro Auguſto pericula ſubiturũ: quod non dixiſſet, ſi is uni vel Cohorti, vel Liburnæ ſaltim præfuiſſet. Sed quur Horatius dixit Mæcenatem iturum *Li-*
21 *burnis, inter alta navium propugnacula*; non *in ipſis?* Adr. Turnebus Advers. lib. XII. cap. XIV. & cum ipſo Theod. Pulmannus Comm. ad locum Horatii, dubitant, an dicatur iturus inter aliarum navium, ut triremium & quadriremium propugnacula: an inter alia ſuæ claſſis ſive Liburnarum propugnacula, ſeu turritas moles. Priorem ſenſum putant recipere ipſa Horatii verba: poſteriorem agnoſcere Prudentium, cui lib. II. contra Symmachum *Liburnæ*
22 dicuntur *turritæ*. At Barthius noſter Adverſ. lib. LVI. cap. XIV. id retulit ad celeritatem Liburnarum, quibus vectus Mæcenas, ut Dux, aut Duci proximus, melius potuerit cir-
23 cumire claſſem, & expedire neceſſaria. Cæterum Auguſtus cum claſſe iſta provectus ad Actium, Epiri promontorium, juxta ſinum Ambracium, in animo habuit clam Antonii claſſem ad ſe traducere: quæ ſpes quum decollaret, caſtra ex adverſo hoſtium poſuit & communivit. Interea Agrippa, ut Antonii copias diſtraheret, Leucadem inſulam cepit, & Patras, ac Corinthum. M. Titius vero & Statilius Taurus equitatum Antonii fundunt: & Cn. Domitius Ahenobarbus, Cleopatræ factus infenſior, ad Auguſtum deficit. Unde Antonius omnes habens ſuſpectos, quoſdam interfecit, caſtraque ſua ab hoſtilibus alio traduxit, ubi Auguſtus commeatu ipſum intercludens, eo adegit, ut de fuga conſilium captaret. Vicit ibi Cleopatræ ſententia; locis oportunis præſidio munitis, in Ægyptum eundum. Jamque abitus parabatur, quum Auguſtus oppoſita claſſe hoſtem,

ſtem, ut pugnam ineat, cogit. Pugnatum eſt dubio marte 24
per aliquot horas, tandem Cleopatra ancipitis prælii exſpectatione victa, ſigna ſuis ad fugam dedit. Eos fugientes Antonius conſpicatus, & victos credens, fugam & ipſe relicto exercitu arripuit. Auguſtus, quum ſuperſtitem claſſem, propter navium magnitudinem expugnari tam ſubito non poſſe adverteret, illato eam igne exuſſit. Plurimum 25
autem hac vice Auguſto, contra magna hoſtium navigia profuerunt Liburnæ, ſive leves & celeres naves, quas diximus; earumque auxilio, & *Mæcenatis* earumdem Præfecti virtute, victus fuit Antonius: *experimentoque patuit*, ut Vegetius loco adducto ait, *Liburnicas aliis aptiores eſſe ad præliandum.*

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenas Romam redit ad Remp. adminiſtrandam. 2. cui adjungitur deinde Agrippa. 3. utrique ſumma ab Auguſto poteſtas data. 4. & conceſſus Imperatoris annulus. 5. locus ea de re ex Dione. 6. Auguſtus primum ſphynge in ſignando uſus. 7. de ea cavillum quorundam. 8. ex quo Alexandri M. imagine ſignavit. 9. Maximus honos, in poteſtate habere Principis annulum. 10. Eo honore Veſpaſianus mactavit Mutianum. 11. Mæcenas Auguſti Cancellarius. 12. privatim Rana ſignavit. 13. interdum etiam in publicis ea uſus. 14. quur Rana ſignarit, dubitatur. 15. dubitandi cauſſa ex Scaligero. 16. Pierii Valeriani de Rana Mæcenatis conjectura. 17. & Claudii Paradini. 18. quæ in medio relinquuntur.*

OBtenta tam illuſtri victoria, *Mæcenatem* Auguſtus à ſe 1
dimiſit, ut Romam rediret, & Remp. porro adminiſtraret. Auguſtus ipſe res Græciæ primum ordinavit, deinde Aſiæ, & adulta primum hyeme Romam reverſus eſt. Solicitus interim, ne quid in Italia ſe abſente militum non- 2
nulli, quos poſt victoriam ſine præmio dimiſerat, ſub Mæcenate,

cenate, equestris tantum dignitatis homine, turbarent, A-
3 grippam insuper, quasi aliam ob rem, eo misit. Tantam
vero utrique, tanquam fido amicorum pari, potestatem
tribuit, ut & literas ad Senatum iis liceret primum legere,
4 & si quid visum, mutare. In eam rem enim & annuli sui
ἔκτυπον ipsis concesserat, quo literas lectas Principis nomine
5 obsignarent. Audiamus Dionem lib. LI. *At milites, victoriæ socii, tum à militia nullo dato pretio dimissi fuere; qui indigne id ferentes, seditiones paullo post agitare cœperunt. Id veritus Augustus, ac ne Mæcenatem, tum Romæ Italiæque administrandæ præfectum, quod equestris tantum ordinis homo esset, contemptui haberent; Agrippam, quasi aliam ob rem, in Italiam misit. Tantam vero in omnibus rebus potestatem* Mæcenati *atque Agrippæ tribuit, ut literas quoque, quas ipse ad Senatum aliosque scribebat, ante quam redderentur, & legerent, & quæ visum fuisset, mutarent. Cujus rei caussa annulum quoque ab eo acceperunt, ut obsignare eas possent. Sigillum enim, quo tum maxime utebatur, Sphynge utrique insculpta, geminum eo fini fieri curaverat.* Repetit eadem Xiphilinus in Epitome, & tangit Plinius lib. XXXVII. cap. I. ubi ait: *Di-*
6 *vus Augustus inter initia Sphynge signavit. Duas in matris annulis jam indiscretæ magnitudinis invenerat. Altera per bella civilia, absente eo, amici* (Mæcenas & Agrippa) *signavere epistolas & edicta, quæ ratio temporum nomine ejus reddi*
7 *postulabat: non inficeto lepore accipientium, ænigmata adferre*
8 *sphyngem. Postea ad evitanda convitia Sphyngis, Alexandri imagine signavit.* Potestatem illam subsignandi, *Mæcenati* ab Augusto datam, etiam Horatius respicit; rogatus à quodam è familiaribus, ut sibi apud Mæcenatem suffragaretur, & tabularum subsignationem procuraret. Verba sunt ex Sermon. lib. II. Sat. VI.

Imprimat his, cura, Mæcenas signa tabellis.
Dixeris, experiar: si vis, potes.

Maxi-

Maximus autem hic honor, summæque in Rep. signum 9
potestatis, Principis concreditum habere annulum, gra-
vissimisque in rebus Principe & absente & non consulto,
decernere quæ velis, & mutare, ac decreta Sigillo Princi-
pis tanquam præsentis firmare. Succedentibus tempori- 10
bus, post Mæcenatem, consimilem potestatem in Urbe
habuisse unum *Mutianum* comperio, sub Vespasiano Imp.
quamdiu is in Ægypto abfuit. Testis Xiphilinus in Vespa-
siano, quem vide. Nec male quidem ex Mæcenatis illa 11
potestate videtur colligere Henr. Salmuthus Notis ad Pan-
ciroll. de Novis Repertis tit. de Legat. *Augusti* ipsum fuisse
Cancellarium, ut hodie vocamus. Cæterum ut hoc per oc- 12
casionem hic etiam addam, in publicis quidem *Mæcenas*
annulo præcipue Imperatorio, Sphynge utebatur: at quo
privatim signavit, is *Ranam* insculptam habuit. Fuit tamen, 13
ubi & hoc aliquando in publicis uteretur, & Rana sua ob
pecuniarum exactiones populo minus gratus esset. Testis
Plinius dicto loco. *Quin etiam* Mæcenatis *Rana*, inquit,
per collationem pecuniarum in magno terrore erat. At quur 14
Ranæ signum in annulo usurpaverit, nos quidem latet: nec
conjecturis, quæ opido fallunt, indulgere est animus. Au-
rem mihi vellit Callimachus, Hymno Apollinis:

Ὦ πόλλων ὁ παντὶ φαείνεαι:

immo & illustris Scaliger filius; qui Epist. lib. III. ep. CC XXIV. 15
hac ipsa in re ita censet: *Mirum quam multa & abstrusa & ignota in gemmis reperiuntur, in quibus interpretandis sæpe puto ludi operam. Non enim dubium est, quin multa verisimilia dici possint: sed quæ vera præstare nemo potest, nisi qui nimis judicio suo confidunt, & aliorum contemnunt.* Quid aliis tamen de *Mæcenatis Rana* visum fuerit, non pigrabor ad-
scribere. Pierius Valerianus Hieroglyph. lib. XXIX. sub fin. 16
de ea ita philosophatur. *Invenias*, inquit, *silentium etiam significari per* Rubetam, Ranam *illam grandissimam, quæ ge-*

minis veluti cornibus insignita est: propterea, quod observarunt Magi, si ea in multitudinem vociferationibus obstrepentem inferatur, silentium fieri. Eoque spectare Ranam *illam* Mæcenatis *celebratissimam, qua is literas & tabellas obsignare solitus erat: utpote qui ea, quæ literis crederet, silentio involvenda esse commoneret. Sed enim, quum* Rana, *non* Rubeta, *in omnium sermone; ego eo potius rem spectare dixerim, quasi* Mæcenas *id in Augusti gratiam fecerit, de quo etiamnum infantulo illud fertur, quod in avito suburbano obstrepentes forte ranas, silere jusserit.* (Suetonius Octavio cap. XCIV.) *Cui quidem commento adeo favit vetustas, ut ex eo negentur ibi ranæ coaxare, quasi etiam adhuc tanti Principis imperio obsequantur. Voluisse igitur* Mæcenatem *hieroglyphico illo schemate taciturnitatem polliceri in iis, quæ Augustus fidei ejus credidisset, non secus ac ranæ, morosa adeo garrulitate*
17 *insignes, illi adhuc infantulo paruere.* Paullo aliter rem expedire conatur Claudius Paradinus *en ses Devises Heroiques.* Dicit ibi *Ranæ* terram ac mare patere, & utrobique illam vivere & dominari. Mox addit. Mæcenas *apud Augustum Cæsarem tantæ fuit auctoritatis, ut penes ipsum & terræ & maris esset potentia & imperium. Quod ansam dedisse credibile est, ut* Ranam *pro symbolo* (aut potius in annulo) *usurparet. Nisi forte per illam* Ranas Seriphias *intelligi voluit, quas vocem nullam edere ait Plinius* (lib. IIX. cap. LIIX.) *ut taciturnitatem indicaret, quæ tam propria & familiaris fuit* Mæcenati, *ut maxime ob eam gratus fuerit Augusto: qui odium insuper ipsius admodum mirabatur, quo detestandas in*
18 *loquendo cavillationes prosequebatur.* Paradini sententiam amplexus Theodorus Hopingius Tract. de Jure Sigillorum c. V. num. XXIX. & Tract. de Jure Insignium c. VI. num. CCC LIIX. itidem per *ranam Mæcenatis* intelligit *Seriphiam*, qua arcani fidem, quam unice observarit, voluerit indicare. Hæc illi. Ego judicium meum suspendo.

CAPVT

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

SVMMARIA.

1. *Augustus victoriam prosequens in Ægyptum trajicit. 2. Antonius sibi vim infert. 3. & Cleopatra adhibitis viperis. 4. aut acu crinali venenata. 5. Romæ Lepidus Iunior in Augustum conspirat. 6. Mæcenatis vigilantia. 7. qua Lepidum opprimit. 8. De ea re Velleius. 9. & paullo aliter Appianus. 10. Augustus Romam redit. 11. & triplicem triumphum agit. 12. bellisque civilibus finem imponit. 13. Mox de reddenda Rep. cogitat. 14. Quid sit reddere Remp. 15. Principum animi imperscrutabiles. 16. Augustus in consilium adhibet Mæcenatem & Agrippam. 17. De ea re locus Suetonii. 18. & Dionis. 19. Augustus Mæcenatis consilium amplectitur. 20. Rationes consilii Mæcenatis ex Xiphilino. 21. ex Suetonio & Zonara. 22. & Mæcenate ipso. 23. Ratio ab aliis alia prolata. 24. quæ refellitur. 25. Virgilium quoque consultum credidit Auctor vitæ Virgilii. 26. quem refellit Sebastianus Corradus. 27. Quis fuerit auctor vitæ Virgilii.*

REbus Romæ & in Italia constitutis, ac gubernatione 1
Agrippæ ac Mæcenati demandata, Augustus in Asiam rediit, bellum adversus Antonium continuaturus. Annus tum erat ab V. C. Io CC XXIII. ante æram Christianam XXIIX. Catullo Poëtæ emortualis; quo quartum Augustus Consul fuit cum M. Licinio Crasso. Trajecit autem ex intervallo in Ægyptum, & Pelusium, proditione ipsius Cleopatræ, ut traditur, cepit. Antonius vero Alexandriam pergens, equitatum Augusti fudit, à peditatu ejus vicissim superatus. Classis demum Antonii tota ad Augustum defecit. Re itaque desperata, Cleopatra in monumentum, ubi thesauri regii reconditi erant, quasi mortis consciscendæ caussa, insiluit. Id serio factum credens Antonius, vim sibi 2
ipsus infert, & monumento eidem illatus in Cleopatræ sinu animam exhalat. Cleopatra mox Antonii mortem Augusto nunciari jubet, seque ipsi & regnum dedit. Mox vero metuens 3

Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho;

& generosius perire quærens, ausa est,

Vultu sereno fortior, asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,

4 ut Horatii verbis utar Carm. lib. I. Ode XXXV. Quanquam sint, qui acu crinali infecta venas sibi suas aperuisse, atque ita sanguini venenum communicasse credant, ut dixi alibi.
5 Dum hæc in Ægypto aguntur, Augustusque ultimam manum bello Actiaco & Alexandrino imponere satagit, *M. Lepidus Iunior*, M. Lepidi Triumviri filius, Augusti interfi-
6 ciendi, ubi in Urbem revertisset, consilia init. At Præfectus Urbi Mæcenas, vir cavendi gnarus & periculorum amoliendorum peritus, optime noverat, *malum nascens facile opprimi, inveteratum fieri robustius*, ut cum Cicerone loquar Philipp. V. *nihilque festinatione tutius esse, ubi facto magis quam consilio sit opus*, ut ait Tacitus Hist. lib. I. c. LXII. *expertusque* erat, ut de Juliano loquitur Ammianus lib. XXI. *Quid in rebus tumultuosis anteversio valeat & prægressus*: Vellejique consilio, lib. II. *neminem celerius opprimi, quam*
7 *qui nihil timeret*. Itaque non cunctandum ratus, Lepidum nihil minus ominantem, citra omnem tumultum vigilantia sua exstinxit; atque ut de Sp. Melio, regnum affectante loquitur Livius lib. IV. *necdum compositis, maturisque satis consiliis*, sive *in ipso conatu* oppressit, quod de Nymphidio Sabino insidias Galbæ moliente ait Tacitus loco dicto cap. V. Ubi notare convenit *Mæcenatis* vigilantiam, qui de Domini salute solicitus, dum ille in Ægypto abest, &

——— *Gentibus illic*
Confligit, vigili circumspicit omnia sensu;
Ne quid in absentem virtutibus obvia semper
Audeat invidiæ rabies, non fervor iniquus:

Neu

Neu qua procul positis, furto sese ingerat, armis,
Callidit as nocitura domi, dum concutit artes
In Ducis exitium &c.

ut Claudiani illa de Laudib. Stilic. huc accommodem. Meminere Lepidianæ conspirationis Suetonius Octavio cap. XIX. Seneca lib. de brevit. vitæ cap. V. & lib. I. de Clement. cap. IX. sed plenius Velleius loco jam dicto, cujus ista verba: *Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Cæsar im-* 8 *ponit manum, M. Lepidus, juvenis forma, quam mente melior; Lepidi ejus, qui Triumvir fuerat Reip. constituendæ, filius; Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Vrbem revertisset, Cæsaris consilia inierat. Tum Vrbis custodiis præpositus* C. Mæcenas, *equestri, sed splendido genere natus vir, speculatus est per summam quietem præcipitis consilia juvenis, & mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum, oppresso Lepido, immane novi & resurrecturi belli civilis exstinxit initium: & ille quidem male consultorum pœnas exolvit.* Hæc Velleius. At Appianus lib. IV. de bell. civil. 9 non Lepidum tantum majestatis à Mæcenate reum actum, sed & matrem ut consciam, scribit: additque filium ab ipso Actium ad Augustum missum, matrem jussam vades præbere Consuli, qui Balbinus tum erat. Ita autem Appianus: Mæcenas *Lepidi filium majestatis in Cæsarem reum agebat, simulque juvenis matrem, ut consciam. Nam Lepidum* (patrem) *ut infirmum, plane contemnebat. Filio autem Actium misso ad Cæsarem, à matre, ne fœmina itineribus vexaretur, vades popposcit præbendos Consuli.* Cæterum Augustus, rebus in Ægypto compositis, cui Cornelium Gallum Poëtam præfecit, anno V. C. Io CC XXIV. ante Deum hominem natum XXVII. quinctum jam cum Sexto Apuleio Nepote Consul, in Italiam reversus est, & media æstate

---- *triplici ingressus Romana triumpho*
Mœnia, DIs Italis votum solenne sacravit

Maxima tercentum totum delubra per orbem:

11 ut Virgilius de ipso canit Æn. lib. IIX. Et triumphorum quidem primus fuit de Pannoniis & Dalmatis, alter navalis, de victoria ad Actium, tertius de subacta Ægypto omnium
12 splendidissimus. *Tum finita sunt*, inquit iterum Velleius, *bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui majestas; rediit cultus agris, sacris honos, securitas homini-*
13 *bus, certa cuique rerum suarum possessio* &c. Atque hoc etiam illud tempus fuit, quo de Rep. reddenda consilia animo secum agitavit, cumque amicis, *Mæcenate* atque Agrippa communicavit Augustus. Sive, *ne Dominus civium ultra quam Reip. necessitas exegerat, permaneret*, quæ Pittaci olim Mitylenæi fuit sententia apud Val. Maximum lib. VI. cap. V. sive alias etiam

---- *privatæ cupidus se reddere vitæ,*
Plebeiaque toga modicum componere civem:

ut Julius Cæsar eodem fere animo introducitur loqui apud Lucanum lib. VII. De Servio Tullio, Rege Romano, idem refert Livius lib. I. quod suum *tam mite, ac tam moderatum imperium, tamen quia unius esset, deponere in animo habuerit.* Reipsa vero id præstitit Sulla, de quo testis est Seneca lib. I. de Clement. cap. XII. quod *descenderit de Dictatura sua, &*
14 *se togæ reddiderit.* Reddere autem Remp. est, quod pluribus dicit Dion, ἀποδιδόναι τῇ τε γερουσίᾳ, καὶ τῷ δήμῳ, καὶ τὰ ὅπλα, καὶ τὰ ἔθνη, καὶ τὰς δυνάμεις, καὶ τὰ χρήματα: *reddere Senatui & populo & arma, & militem, & gubernationem, & pecunias.* Verum consilia, ut dixi, de reddenda Rep. Augu-
15 stus agitavit: an vero ac serio, non determino. *Abditos* enim *Principum sensus, & si quid occultius parant, exquirere, anceps maxime est & dubium: nec ideo adsequare*, inquit Tacitus Annal. lib. IV. cap. VI. qui propterea in Tiberii oratione, qua imperium videbatur velle deprecari, *plus dignitatis,*

tis, quam fidei ait fuisse lib. I. Annal. cap. XI. Sufficit scire nos, 16
Agrippam ab Augusto & *Mæcenatem*, ut præcipuos, quibus secreta sua inniterentur, in consilium adhibitos: atque illum ut redderet Remp. hunc ut retineret, ac Monarchiam sibi assereret, auctorem ipsi fuisse. Strictim rem tangit Suetonius Octavio cap. XXIX. *De reddenda Rep.* inquit, 17
bis cogitavit; primo post oppressum Antonium: memor objectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret, ne redderetur: ac deinde tædio diuturnæ valetudinis. Et respicere huc videtur Seneca lib. de brevit. vitæ cap. V. Dion omnia plenius 18
pertractat, cujus verba sunt: *Hoc anno iterum penes unum hominem summa totius Reip. esse cœpit: quanquam armorum deponendorum arbitrium, resque omnes Senatus Populique potestati tradendi, consilium Cæsar agitaverit: ad quam deliberationem Agrippam* Mæcenatemque *adhibuit, quibuscum secreta omnia communicabat.* Utriusque autem consultoris rationum momentis recitatis subjungit mox Dion: *At Cæ-* 19
sar, quum sapientiæ copioseque & liberæ orationis causa utrumque collaudasset, Mæcenatis *consilium amplexus est.* Quæ his verbis profert in Epit. Xiphilinus: *Eam verò deliberationem Cæsar habuit cum Agrippa &* Mæcenate, *cum quibus omnia communicabat arcana consilia. Et Agrippa quidem consulebat justius, ut imperium deponeret, remque publicam restitueret:* Mæcenas *majorem rationem habebat utilitatis, ajebatque, regnum justum & legitime comparatum inprimis conducere rerum magnitudini. Cæsar autem* Mæcenati *adsensus est, magisque regnum confirmavit.* Confer Zona- 20
ram Annal. Tomo I. Tangit autem Xiphilinus ex parte causam, qua motus Mæcenas, Augusto suaserit, ut imperium retineret. *Regnum nempe justum & legitime comparatum inprimis conducere rerum magnitudini* gubernandæ: *nec aliud discordantis patriæ remedium esse, quam ut ab uno,* ut loquitur Tacitus Ann. lib. IV. cap. IX. unumque Reip.

corpus

corpus *unius præsidis nutu, quasi anima & mente regatur*, ut
21 monet Florus lib. IV. cap. III. Potior tamen, & altera caussa fuit, quam Suetonius adducit, loco quem dixi, quod Augustum, *si privatus viveret, non sine periculo fore* censeret. Eam etiam inculcat Zonaras; quod qui semel imperitarint, tuto privatam vitam agere nullo modo possint. Quo sensu jam olim Periander interrogatus, quur non deponeret imperium? respondit: *Quoniam per vim imperanti, etiam ultro imperio abire periculosum*, ut ex Xenophontis lib. de
22 Memorabil. Socrat. refert Stobæus Serm. XLI. Quin & Mæcenas ipse in Orat. apud Dionem, non alia ratione depositionem imperii Augusto dissuadet, quam quod ostendat, *neminem Senatui Populoque reddita Rep. ipsi parciturum, qui multos offenderit. Hos enim rerum summam ad se trahendo, id acturos, ut se vel ulciscantur, vel ipsum sibi adversantem è medio tollant.* Docet id exemplis Pompeii, Julii Cæsaris, Marii ac Sullæ: quos abdicata potestas vel pessum-
23 dederit, vel pessum datura fuisset, si diutius vixissent. Itaque minime audiendi illi, quorum meminit Jac. Zevecotius, vir clarissimus, Observat. Polit. ad Sueton. Julium cap. IIX. qui *Mæcenatem* Augusto eam ob caussam retinendi imperii fuisse auctorem sibi imaginantur, quod homo mollis & effœminatus in libero Reip. statu disciplinam & censoriam notã timuisset. Ex frivola enim conjectura hæc tantum prolata, nullo antiquitatis testimonio nituntur. De mollitie quidem Mæcenatis, & quæ illa fuerit, in loco dice-
24 mus. At quomodo censuram timuerit, qui Augustum in Oratione laudata serio inter alia hortatur, ut imperio retento, & Præfecto Urbis constituto, ὑποτιμητὴν, seu *Subcensorem* ordinet (nam Censuram Augusto reservat) non capio. Subcensorem dico, quem Mæcenas ipse eum esse vult, qui *genera, facultates, moresque Senatorum & Equitum*, (inter quos Mæcenas) *adultorum ac puerilis ætatis, itemque mulie-*

mulierum, & familiæ totius, examinet & procuret. Cæterum 25
Auctor vitæ Virgilii, quem Servium alii, alii Donatum vulgo volunt, adfirmare audet, Augustum, quum dubius animi hæreret, utrum Mæcenatis aut Agrippæ accederet sententiæ, Virgilium Poëtam in consilium advocasse. *Augustus*, inquit, *dubius an Agrippæ vel* Mæcenati *in reddenda Rep. accederet, rogavit Maronem, an conferat privato homini, se in sua Rep. Tyrannum facere? Tum ille: Omnibus ferme Romæ Remp. occupantibus molesta ipsa Tyrannis fuit, & civibus: quia necesse erat propter odia subditorum, aut eorum injustitiam, magna suspicione, magnoque timore vivere. Sed si cives justum aliquem scirent, quem amarent plurimum, civitati id esse utile, si in eo uno potestas foret. Quare, si justitiam, quod modo facis, omnibus in futurum, nulla hominum facta compositione, distribues, dominari te & tibi conducet & orbi. Benevolentiam enim omnium habes, quum ut Deum te adorent & credant. Ejus sequutus sententiam Cæsar, principatum retinuit.* Verum hæc in dubium merito vocat Sebastianus 26
Corradus in vita Virgilii: tum quod nemo veterum de Virgilio id adserat, forte nec temporis computatio patiatur; tum vero, quod Auctor ille vitæ Virgilianæ non sit *Servius*, 27
ut qui in multis aliter sentiat; nec *Donatus*, quod hic vir sit doctissimus, ille indoctus & vix Latine sciens. Et de Auctore quidem isto non aliter censet Frid. Taubmanus Prolegom. in Virg. Æneid. Quin & Jos. Scaliger Comm. in Culicem Virg. eundem vocat *literatorem* ac *Grammaticum ignobilem*. De Virgilio vero ipso, in consilium vocato, rem in medio relinquentes, ex veteri judiciorum formula dicimus, *Non liquere.*

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis otium literarium.* 2. *oſtenſum ex Tacito.* 3. *& Nerone apud Tacitum.* 4. *& Horatio.* 5. *In otio iſto ejus deliciæ.* 6. *Auguſti morbus.* 7. *Medicis indulta privilegia, conceſſi honores.* 8. *Murena, Mæcenatis uxoris frater, in Auguſtum conſpirat.* 9. *Secretum de comperta conſpiratione Mæcenas uxori revelat.* 10. *Auguſtus Agrippam Vrbi præficit.* 11 *& filiam ei Iuliam dat uxorem.* 12. *idque conſilio Mæcenatis.* 13. *quod ſumme laudat Ammiratus.* 14. *Locus ea de re Dionis.* 15. *& temporis notatio ex Horatio.*

QUid rerum Orbe in eum modum pacato, tranquillaque Rep. Mæcenas porro geſſerit, ſcriptores rerum Romanarum, qui extant, ad annos aliquot non annota-
1 runt. Si quis conjecturæ locus, adfirmare auſim, ab eo tempore *Mæcenatem* quaſi ex poſtliminio ad literarum ſtu-
2 dia revertiſſe. Huc enim traho, quod Seneca in Orat. ad Neron. apud Tacitum Annal. lib. XIV. cap. LV. ait: *At avus tuus Auguſtus M. Agrippæ Mitylenenſe ſecretum*, C. Mæce-
3 nati *Vrbe in ipſa veluti peregrinum otium permiſit.* Nec negat Nero ipſe, cap. ſeq. niſi quod addat, otium utrique conceſſum in ætate provectiori, quæ miſſionem à laboribus merebatur. *Avus meus*, inquit, *Agrippæ & Mæcenati uſurpare otium conceſſit poſt labores; ſed in ea ipſa ætate, cujus auctoritas tueretur, quicquid illud & qualecunque tribuiſſet.*
4 Eodem, & in idem tempus traho, quod Horatius lib. III. Carm. Ode IIX. *Mæcenatem privatum* vocat, eaque de cauſſa à Reip. curis ad hilaritatem invitat iſtis verſiculis:

Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere, &
Dona præſentis cape lætus horæ &
Linque ſevera.

Tale *otium* Cicero *honeſtum* vocat, & benemerentibus poſt

poſt beneficia & labores concedendum. *Ego*, inquit in Orat. pro Sylla, *tantis à me beneficiis in Rep. poſitis, ſi nullum aliud mihi præmium à Senatu Populoque Romano, niſi honeſtum otium poſtularem, quis non concederet?* In iſto vero otio, 5
& ſumma rerum omnium affluentia, illectum deliciis, quibus tum univerſi luxuriabant, pleraque ea in ſe admiſiſſe aut egiſſe puto *Mæcenatem*, quæ vitio ipſi verti potuerint: quod & Pedo inſinuat, & nos ſuo loco pluribus diſcutiemus. Acceſſit huc Auguſti per aliquot annos in Hiſpaniis 6
abſentia, & in Urbem reverſi invaletudo, è qua vix tandem *Antonii Muſæ* medici induſtria eluctatus fuit. Cui 7
proinde ſtatuam ex ære collato juxta Æſculapium poni curavit, ac tum ipſi, tum cæteris medicinam profeſſis jus civitatis aureique annuli uſum, qui equitum geſtamen erat, conceſſit, ut auctores ſunt Dion lib. LIII. Suetonius Octav. cap. LIX. Zonaras Annal. Tomo II. Id contigit anno V. C. Ioc c xxx. ante natalitia Salvatoris XXI. quo Auguſtus undecimum Conſul, Collegam habuit Cn. Calpurnium Piſonem. Inſequenti vero anno, quo Claudius Marcellus Æ- 8
ſerinus & L. Aruntius Nepos Coss. fuere, mentio iterum fit Mæcenatis, occaſione conſpirationis Fannii Cæpionis & Licinii Murenæ, qui de Auguſto ex medio tollendo conſilia inierant. Meminit autem Dion lib. LIV. nec Proculeium, Murenæ fratrem, nec *Mæcenatem* Murenæ ſororis maritum, Auguſti præcipuos familiares, tantum gratia ſua valuiſſe, ut vel fratrem alteruter, vel affinem pœnæ ſubtraheret. Suetonius vero in Octavio cap. LXVI. 9
Mæcenatem ſecretum de conſpiratione Murenæ uxori ſuæ prodidiſſe narrat, atque eam ob cauſſam Auguſti offenſam occurriſſe, quam rem ſupra tetigimus. Dionis verba ſunt: *Ejus conſpirationis Dux fuit Fannius Cæpio, ſocii autem nonnulli alii, interque eos Murena etiam, ſive verè, ſive falſo habitus, qui libertate dicendi contra quoſcunque intem-*

peranti ad fastidium utebatur. Hi quum die dicta in judicio non comparuissent, absentes exilio damnati sunt, & paullo post necati. Neque auxilio Murenæ fuit frater ejus Proculeius, neque sororis maritus Mæcenas, *qui tamen summo apud Augustum erant loco.* Sed jam finierat annus, quum Augustus in Sicilia agens, ut eam, aliasque mox ad Syriam usque provincias constitueret, per absentiam suam Populum Romanum in Consulibus creandis seditione agitari comperit.
10 Itaque de M. Agrippa Romam mittendo, ut Urbi iterum præesset, cogitavit. Plus tamen ei auctoritatis addendum ratus, ut repudiata uxore (quæ tamen Octaviæ sororis filia
11 erat) Juliam duceret ex Scribonia sibi filiam, consultum duxit; eumque hac fini Romam, tum ad nuptias celebrandas, tum Urbis præfecturam suscipiendam ab se dimisit.
12 Utque ita ageret, atque hominem *ignobilem loco*, ut Agrippam Tacitus vocat lib. I. Annal. cap. III. sive *non natum nobilem, sed factum*, ut Seneca Controv. lib. II. cont. XII. generum sibi legeret, præter alia etiam *Mæcenatis* dictum ipsum movit; qui consultus super hac re dixerat: tantum Agrippam jam factum, ut vel generum Cæsaris fieri, vel
13 occidi necessum esset. Quod consilium quam prudens fuerit, discat Lector pluribus ex Scipione Ammirato negli
14 suoi Discorsi sopra Tacito lib. V. disc. VI. Rem totam prolixius narrat Dion lib. adducto, cujus ultima tantum verba, quæ huc faciunt, adscribemus: *Augustus moleste ea ferens, quum neque soli Romæ vacare posset, neque eam sine gubernatore relinquere auderet, de præficiendo ei aliquo cogitans, Agrippam aptissimum judicavit. Plus tamen ei majestatis addendum ratus, quo facilius Vrbem regere posset, uxore eum sua repudiata (quanquam hæc sororis suæ filia erat) Iuliam ducere jussit: ac continuo Romam misit ad nuptias peragendas, Vrbisque gubernationem capessendam. Quod ut faceret, præter alia etiam* Mæcenatis *eum dictum moverat, qui con-*

consultus hac in re, Tantum, inquit, Agrippam jam feciſti, ut vel gener tuus ſiat, vel occidatur, neceſſe ſit. Repetit eadem Zonaras Annal. Tomo II. & acciderunt anno V. C. Iɔcc 15 XXXI. ante æram noſtram XIX. quo Urbs Coss. habuit Q. Æmylium Lepidum & Max. Lollium, amicum Horatii, qui id temporis annorum XLIV. ſe fuiſſe ſcribit Epiſt. lib. I. Ep. XX.

Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres,
Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno.

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

SVMMARIA.

1. *Virgilii obitus.* 2. *qui Mæcenatem ex parte hæredem ſcripſit.* 3. *Auguſtus in Gallias proficiſcitur.* 4. *Statilium Taurum Vrbi præficit.* 5. *Dionis ea de re locus.* 6. *qui in dubium vocatur.* 7. *Auguſtus primum Mæcenatem Vrbi præfecit.* 8. *mox aliquem ex conſularibus.* 9. *quorum primus fuit Meſſalla.* 10. *ſua ſore Mæcenate.* 11. *dein Statilius Taurus.* 12. *Auguſti & Mæcenatis uxoris amores.* 13. *Auguſtus an Mæcenatem ſecum in Gallias duxerit.* 14. *Agrippæ obitus.* 15. *Mæcenatis ſenectus.* 16. *& frigus ab Auguſto.* 17. *Fortunæ inconſtantia.* 18. *Salluſtius Mæcenatis fortunæ particeps.* 19. *Principum in ſuos inclinatio aut odium, an à fato.* 20. *aut actionibus & conſiliis hominum ipſorum.* 21. *Antipathiæ & ſympathiæ intra homines.* 22. *Auguſti in Mæcenatem inclinatio unde.* 23. *Aulicarum mutationum cauſſa ex Salluſtio.* 24. *ex Tacito.* 25. *Auguſti in Mæcenatem frigus non diuturnum.* 26. *Mæcenas in officio erga Auguſtum conſtans.* 27. *Munera mittendi amicis die natali conſuetudo.* 28. *etiam Principibus, Kal. Ianuarii.* 29. *& his quidem ex legiſcito.*

EX intervallo aliquo, quum annus jam eſſet V. C. Iɔcc I XXXIV. ante Chriſtum natum XVII. Q. Lucretio Cinna Veſpillone, & C. Sentio Saturnino Coss. Brunduſii, aut Tarenti ut vult Servius Comm. in Æn. Virg. obiit diem ſuum *P. Virgilius Maro*, Poëtarum hactenus princeps, quum teſtamento hæredes ſcripſiſſet Auguſtum & Mæcenatem, pa- 2

tronos suos. Auctor est Probus Grammaticus de vita Virg. & Bucol. Carm. rat. *Decessit*, inquit, *in Calabria, annum agens* LI. *hæredibus Augusto &* Mæcenate, *cum Proculo minore fratre.* Plures tamen hæredes nominat Pseudo Donatus in sua Virg. vita. *Hæredes*, ait, *fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex alio patre; ex quarta Augustum; ex duodecima* Mæcenatem; *ex reliqua L. Varium & Plotium Tuccam.* Post triennii intervallum, intra quod *Ludi Augustales* acti fuere, in quos *Carmen Seculare* conscripsit Horatius, Augustus aliquamdiu ab Urbe in Gallias proficisci constituit; anno V. C. Io CC XXXVII. ante ortam salutem XIV. L. Domitio Ænobarbo & P. Corn. Scipione Coss. Quia vero Agrippa, cui ante aliquot annos cum Mæcenate, ut notavimus, Urbis curam demandaverat, id temporis in Syria aberat, *Statilium Taurum* Urbi & Italiæ abiturus præfecit; præterito *Mæcenate*, cui jam, ut vult Dion lib. LIV. ob uxorem erat infensior. Audiamus Dionem ipsum. *His constitutis L. Domitio AEnobarbo & P. Scipione* Coss. *in Galliam Augustus profectus est, prætendens caussam profectionis bella, quæ ibi perturbata essent. Quum enim diuturna ejus in Vrbe commoratio molesta multis esset, ac multos, qui contra leges deliquissent, plectens offenderet: multis parcens, cogeretur ipse leges suas prævaricari: peregre abire Solonis exemplo statuit. Fuerunt qui propter Terentiam*, Mæcenatis *uxorem*, *eum discedere suspicarentur: ut, quoniam multi Romæ de ipsorum amore per vulgus sermones darentur, in peregrinatione sua citra omnem rumorem ejus rei, cum ea vivere posset &c. Deinde Vrbis & Italiæ gubernatione Tauro injuncta (nam Agrippam jam in Siciliam miserat, & Mæcenas ei propter uxorem minus jam gratus erat) ac Tiberio secum accepto, ab Vrbe profectus est.* Verum hæc Dionis verba paullo accuratius nobis erunt discipienda. Duo autem dicit: præteritum *Mæcenatem* ab Augusto in Urbis præfectura: & factum id quod minus

minus gratum haberet ipsum propter uxorem. Quod prius attinet; Augustus, ut jam ante ostendimus, bellis civilibus Urbi & Italiæ præfecerat *Mæcenatem* sat longo temporis intervallo, tandem etiam ipsi adjunxerat Agrippam. *Rerum mox potitus*, verba sunt Taciti Annal. lib. VI. cap. XI. *ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit è consularibus, qui coërceret servitia, & quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat.* Atque hoc fecit Augustus non nisi *Mæcenatis* consilio; quo Dionis etiam ipsius testimonio lib. LII. suaserat, ut in posterum Augustus *Præfectum Vrbi quendam ex primariis viris crearet, qui omnes magistratus, quos geri ante hunc conveniret, gessisset: non ut per absentiam tantum Vrbi præesset, sed ut, quum reliqua in Vrbe administraret, tum caussas quoque eas, quibus provocatio competeret, capitalesque omnes, paucis exceptis, in Vrbe atque extra Vrbem ad* XXCI. M. *passuum dijudicaret.* Hoc igitur consilium sequutus Augustus, non præteriit *Mæcenatem*, ut qui sat diu Præfecturæ laboribus fuerat functus, & cui otium post maximos labores in Urbe indulserat: sed ejus ipsius consilio ad normam præscriptam, elegit primum omnium *Messallam Corvinum.* Verum quum paucis hic potestatem eam obiret diebus, sive *quod tueri ipsam non poterat, & nescius exercendi*, ut vult Tacitus, seu *quia potestatem parum civilem arbitraretur*, ut est apud Hieronymum Chronico Eusebiano, *Taurum Statilium*, quanquam provecta jam ætate, officio illo dignum censuit. In altero æque fallit Dion. Utut enim præterierit Augustus *Mæcenatem*, non tamen ideo præteriit, quod ob uxorem ipsi esset infensior. Etenim si verum est, quod Dion ait, voluisse Augustum in itinere *Terentiæ*, uxoris Mæcenatis, amoribus secure frui, & simul populi de iis sermones evitare: non potuit alienam uxorem secum solam abducere, marito domi relicto, Urbique præfecto, nisi novos liberioresque de se & rumores & sermones

mones voluiſſet ſpargi. Non præteriit igitur *Mæcenatem*, quod infenſus ipſi eſſet, ſed non oneravit ea, ut ſecum duceret, atque ita furtivis in itinere uxoris amoribus fruere-
13 tur; de quibus infra etiam quædam dicturi ſumus. Itaque niſi fallit de Terentia Dion, *Mæcenatem* & hoc anno, & ſequentibus, uſque ad eum, qui ab anno V. C. fuit Ↄ cc XL: ante ſalutis noſtræ exordium XI. quo Auguſtus in Urbem rediit, cum ipſo conjicias in Galliis fuiſſe. Ἀλλὰ τὲ μὴν ἐχέτω ὅκως καὶ ἐγένετο, inquit Lucianus lib. de Dea Syria: & in
14 medio, ita ut ſunt, relinquantur. Cæterum annum ab Auguſti reditu proximum excepit luctus ex obitu *M. Vipſanii Agrippæ*, qui utrique tum Auguſto, tum Mæcenati gravis accidit. Obierat is in Campania, ex Pannoniis redux, quos rebellantes compeſcuerat. Id ubi Auguſto nuntiatum, ſtatim illuc excurrit, cadaver Romam deduxit, defunctumque in funere laudavit, ut referunt Dion lib. adducto &
15 Zonaras Tomo II. Ab hoc tempore, ſupremoque vitæ quadriennio, in eum uſque diem, quem vitæ ultimum habuit, vix amplius quicquam rei notatu dignæ *Mæcenatem* patraſſe autumo; corpus tantum ſenile, multiſque laboribus fractum, quieti dediſſe, fatalemque terminum in literato otio, & cum literatiſſimis quibuſque ejus ævi homini-
16 bus converſatione, exſpectaſſe. Gratia tamen ſub ultimam hanc vitæ fabulam non æque apud Auguſtum valuiſſe, ſed frigus ſenſiſſe poſt multos labores & maxima in Principem
17 merita, non eſt quod diſſimulemus. Vero enim verius ſemper fuit, eſt, eritque Varronis illud, Margopoli:

Nemini fortuna currum, miſſum à carcere intimo,
Labi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit:

Lubrica eſt, &

---- *nunquam ſiſtit in eodem ſtatu;*
Semper movetur, variat & mutat vices;
Et ſumma in imum mergit, & verſa erigit,

ut

ut Auſonius loquitur, in Epigr.

Et modo lætamanet, vultus modo ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in levitate ſua eſt:

ut expertus ſcribit Ovidius lib. V. Triſt. eleg. IX. Reſpicit autem frigus *Mæcenatis* Seneca, quando Epiſt. XIX. ipſum ab aula & ſplendore ejus abire, ac *vela contrahere, & terram legere, nimis ſero voluiſſe* ſcribit. Verum ſic aula ſolet beare amicos, is ejus mos eſt.

Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Conſiſtes ægre, & citius, quam aſcendas, decides:

ut Laberius loquitur apud Macrobium Saturn. Lib. VII. cap. VII. & Agellium lib. XVII. cap. XXV. Nec primo id 18 contigit Mæcenati, ſed tum innumeris aliis,

——— ὅση ψάμαθός τε κόνις τε·

tum poſt ipſum proxime *Criſpo Salluſtio*, Salluſtii Hiſtorici ſororis nepoti, & *Mæcenatis* in vita aulica æmulo, ut notat Tacitus Annal. lib. III. cap. XXX. Verba ipſa loco huic illuſtrando adſcribo: *Criſpum*, inquit, *equeſtri ortum loco, C. Salluſtius, rerum Romanarum florentiſſimus auctor, ſororis nepotem in nomen adſcivit. atque ille, quanquam prompto ad capeſſendos honores aditu*, Mæcenatem *æmulatus, ſine dignitate Senatoria multos triumphalium Conſularium-que potentia anteiit. diverſus à veterum inſtituto per cultum & munditias: copiaque & adfluentia luxui propior. Suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par; eo acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat. Igitur incolumi* Mæcenate *proximus, mox præcipuus cui ſecreta Imperatorum innite-rentur, & interficiendi Poſthumi Agrippæ conſcius, ætate pro-vecta ſpeciem magis in amicitia Principis quam vim tenuit: idque &* Mæcenati *acciderat; fato potentiæ raro ſempiternæ.* Dubitat Tacitus alibi, Annal. nempe lib. IV. c. XXIV. *fatone &* 19 *ſorte naſcendi, ut cætera, ita Principũ inclinatio in hos, offenſio in illos*, feratur: *an* vero *ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceat-* 20

que inter abruptam contumaciam & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum, principumque inde
21 animum & favorem continuum ſperare. Sane fato ſæpe animos inter ſe jungi, ſive occulta quadam potius inclinatione, cujus cauſſam quia ignoramus, fato & aſtris adſcribimus, negari vix poteſt, & exempla paſſim ſunt in promptu. Horatius ſuum & Mæcenatis adfectum mutuum non alio refert Carm. lib. II. Ode XVII. ita ad ipſum ſcribens:

Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum.

Et Perſius Sat. V. de ſua Cornutique Stoici *συμπαθείᾳ* agens, nullus dubitat

---- *amborum fœdere certo*
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci:

quod pluribus etiam ibi deſcribit verſibus. Quin occulta multi inclinatione ſe mutuiter amant: ita viceverſa aliorum ſæpe animi, peculiari quadam & indicibili *ἀνλιπαθείᾳ* invicem ſibi ſunt infeſti. Notum eſt Martialis diſtichon de ſuo in Sabidium odio lib. I. epigr. XXXII.

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere, quare:
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Interim tamen homo etiam prudens, dum rerum ſuarum ſatagit, obſequelis & officiis, nec fucatis tamen, nec adulatoriis, principum animos in ſe inclinare, favoremque
22 continuum ſibi poteſt demereri. Vtraque ex cauſſa Auguſto carus fuit *Mæcenas*. Nam & mutua in utroque ab ipſa fere adoleſcentia animorum fuiſſe inclinationem, res ipſa teſtatur: & norat Mæcenas, vir *πολιτικώτατος citra deforme* illud *obſequium & abruptam contumaciam*, de quibus loquebatur Tacitus, hoc eſt, citra adulationem & importunita-
23 tem, Auguſtum ſibi, ſi quiſquam alius, devincire. Unde ergo, inquies, frigus tandem in ipſum Auguſti? An quia *regiæ*

giæ voluntates, uti vehementes, ſic mobiles, ſæpe ipſæ ſibi adverſæ, ut inquit Salluſtius in Jugurtha ſub fin. An quia *be-* 24
neficia eo uſque læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur, ut vult Tacitus loco proxime adducto, cap. XXIIX. *An ſatias capit aut illos* (principes) *quum omnia tribuerunt, aut hos, quum jam nihil reliquum eſt, quod cupiant*, quod idem ait lib. III. Ann. cap. XXX. Conſulere Lector poterit Scip. Ammiratum negli ſuoi Diſcorſi ſopra Tacito, lib. III. diſc. IV. Non tamen diu 24
duraſſe Auguſti in *Mæcenatem* offenſam veriſimile arbitror. Quum enim (ſi Suetonio credimus in Octav. cap. LXVI. atque ex omni amicorum Auguſti numero ſaltem Salvidienum Rufum, & Corn. Gallum exceperimus) omnes *reliqui potentia atque opibus ad finem vitæ, ſui quiſque ordinis principes, quanquam & offenſis intervenientibus, floruerint*: utique & *Mæcenas* cum iis, offenſa ſublata, ad finem vitæ potentia & favore floruit. Et reconciliatos invicem fuiſſe, ex eo etiam apparet, quod *Mæcenati* moribundo in extremis adſtitit Auguſtus, ut ex Suetonio colligimus in Horatii vita. *Mæcenas* certe perſtitit nihilo ſe- 25
cius in obſequio, ſubinde non officiis tantum, ſed muneribus etiam & donariis patroni animum demulcendo. Hoc enim velle ipſum ſciebat, & ab amicis exigere ſolitum, ut idem refert Suetonius. De donariis aliquid Plu- 26
tarchus in Apophthegm. Reg. & Princ. Παρὰ δὲ, inquit, Μαικήνα, τῷ συμβιώτῃ, καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς γενεθλίοις δῶρον ἐλάμβανε φιάλην. A Mæcenate, *ſuo familiari Auguſtus quotannis natali phialam accipiebat donarium*. Quan- 27
quã veteris etiam alias conſuetudinis fuiſſe ſciam, die natali non amicis tantum ſed & Imperatoribus munera mittere; aut etiam Kalendis Januariis. Quod poſtremum, ut 28
primo conſuetudinis tantum fuit: ita legibus poſtea, ut quaſi jure fieret, ſancitum eſt ab Arcadio & Honorio

29 Impp. quod videre est in L. unica. Cod. Theod. & Justin. de oblat. votor. quæ *libram auri unam & solidos obryzatos* Principibus offerre quotannis Kalendis Januariis imperat. Quo pertinet, quod Symmachus scribit lib. I. epist. XIV. *se pateram auream, cum aureis quinque Principi Kal. Ianuariis obtulisse.* De officiis vero *Mæcenatis* in Augustũ multa jam diximus, & quædam porro in vitæ Mæcenatianæ catastrophe dicenda occurrent. Nunc alia excutiamus, in quibus primo loco amici se offerent, quotquot impensius cæteris & amore & favore Mæcenas fuit prosequutus.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

SVMMARIA.

1. *Quæ sint τὰ ἔξω & τὰ ἔνδον in hominis vita.* 2. *Iul. Cæsar qualis in amicos fuerit.* 3. *Modus deligendi amicos, ex Ammiano.* 4. *& Seneca.* 5. *Augusti in ea re mos.* 6. *& Mæcenatis.* 7. *paucos eligentis & dignos, citra natalium respectum.* 8. *quod Horatius suo exemplo docet.* 9. *Mæcenas electos serio amabat & ornabat.* 10. *nec sinebat eos sibi invicem obtrectare.* 11. *Pisonis & Stiliconis similis mos.* 12. *Amicorum Mæcenatis princeps Virgilius.* 13. *cujus Georgica Mæcenati debemus.* 14. *& Æneida, testimonio Panegyrici in Pisonem.* 15. *& Martialis.* 16. *& Sidonii Apollinaris.* 17. *& Focæ Grammatici.* 18. *Mæcenatis à Virgilio amicorum alter Horatius.* 19. *quem in bello Philippensi servavit.* 20. *& agro Sabino donavit.* 21. *Mæcenas Horatii decus & præsidium.* 22. *appellationis ejus ratio reddita.*

1 VIdimus itaque τὰ ἔξω Mæcenatis, ut Græci loquuntur, sive ea quæ publice præstitit: videbimus porro τὰ ἔνδον, *interiorem* nempe *& familiarem ejus vitam*, ut cum Suetonio loquar, Octav. c. LXX. *quibusque moribus domi & inter* 2 *suos egerit.* De Julio Cæsare Dion ait lib. XLIV. quod *amicis familiaribusque mirifice fuerit usus; ita ut neminem ex iis contemneret, neminem contumelia afficeret: omnibus se facilem in colloquiis præberet: quorum in ipsum exstarent officia, eos*

eos multipliciter remuneraret, reliquos beneficiis sibi devinciret. Neque vero splendori ullius invideret, aut augescentem deprimeret, sed honori sibi duceret, si quam plurimos sibi æquaret: quod eorum dignitatem, potentiam decusque etiam aliqua ex parte ad se redire existimaret. Atque hoc quidem prorsus animo esse in receptos semel amicos unumquemvis jus ac fas erat: quanquam in recipiendis maxima cautela sæpe opus esse non negem. *Vt enim sapientes defi-* 3 *niunt*, inquit Ammianus lib. XXVI. *non modo in imperio, ubi pericula maxima sunt & creberrima, verum etiam in privatis quotidianisque rationibus, alienum ad amicitiam, quum judicaverit quisquam prudens, adjungere sibi debebit: non quum adjunxerit, judicare.* Eademque Senecæ fuit sententia 4 Epist. III. *Post amicitiam*, inquit, *credendum est, ante amicitiam judicandum. Isti vero præpostere officia permiscent, qui contra præcepta Theophrasti* (apud Plutarchum lib. de fraterno amore) *quum amaverint, judicant; & non amant, quum judicaverint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte.* Eopte animo fuisse D. Augustum, testis est Suetonius 5 in vita ejus cap. LXVI. & Aurelius Victor in Epit. quando uterque amicitias ipsum testantur *non facile admisisse, & constantissime retinuisse.* Nec latum unguem eadem in re 6 à patrono discessit cliens, *Mæcenas* noster. Non ille quosvis sibi adscivit amicos, neque statim ut offerebantur. Non *è plebe* adsumpsit *scurras, histriones, aurigas*, quod Tacitus lib. II. Hist. cap. LXXXIV. refert de Vitellio Imp. qui *amicitiarum istis dehonestamentis mire gaudebat.* Paucos potius 7 sibi eligebat & bonos, & ex temporis intervallo, postquam accurate de ipsis judicaverat: ne facile prompteque receptos post paullo necessum haberet dimittere. Unde ab Horatio Serm. lib. I. Sat. IX. dicitur esse

---- *Paucorum hominum & mentis bene sanæ;*

& paullo ante:

---- *cantus dignos adsumere, prava*
Ambitione procul;

Et

Qui referre neget, qualis sit quisque parente
Natus, dum ingenuus.

8 Idque ipsum magnam etiam partem sui ipsius exemplo idem Horatius ostenderat, Sat. VI. sequentibus ad Mæcenatem versibus:

---- *Felicem dicere non hoc*
Me possum: casu quod te sortitus amicum.
Nulla etenim mihi te fors obtulit, optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quis essem.
Vt veni coram, singultim pauca loquutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed quod eram, dixi. respondes, ut tuus est mos,
Pauca, abeo, & revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vita & pectore puro.

9 Quos igitur ad hunc modum amicitia sua dignos judicaverat *Mæcenas*, eos & benigne deinceps recipiebat, *cumque ipsis*, ut de Augusto loquitur Dion lib. LVI. *gaudia doloresque, seria & jocos, nunquam non communia habebat*. Eosdem multimodis usque ornabat, novisque subinde beneficiis sibi devinciebat, *honoresque & potentiam ab Augusto recepta in benemerendum de amicis impendebat*, quod de Agrippa, Mæcenatis in Rep. συνέργῳ scribit idem Dion lib. LIV. Eratque is prorsus *Mæcenas*, cui *postquam omnem ætatem in optimis artibus egerat, benefacere jam ex consuetudine in naturam*

ram verterat, ut de se gloriatur Marius apud Sallustium lib. de bello Jugurth. Nec vero tolerare poterat, quum 10 & ipse modestus esset, & moribus sinceris, ut domi suæ amicorum alter alteri invideret, aut insidiaretur, vel detraheret. Ideo iterum Horatius Sat. IX. homini cuidam garrulo & loquutuleio, qui *Mæcenatis* gratiæ insinuari rogabat, & si receptus esset, cæterorum eversionem Horatio temere promittebat:

---- *Non isto*, inquit, *vivimus illic,*
Quo tu rere modo: domus hac non purior ulla est,
Nec magis his aliena malis. nil mî officit unquam
Ditior hic, aut est quia doctior. est locus uni-
Cuique suus.

Et quanquam loquutuleius idem ille, id *magnum & vix credibile* putaret in tanta domo; tamen id *ita habere*, denuo Horatius affirmat, quem vide. Plane autem, ut hoc 11 obiter moneam, ad *Mæcenatis* hoc exemplum *Piso* fuit, apud Auctorem Panegyrici in Pison. & *Stilico* apud Claudianum. De Pisone ita Panegyrista:

Diligis ex æquo: nec te fortuna colentum
Natales ve movent: probitas spectatur in illis.
Nulla superborum patiuntur dicta jocorum:
Nullius subitos infert injuria risus:
Vnus amicitiæ summos tenor ambit & imos.

De Stilicone Claudianus Panegyr. II. in Stilic.

---- *Non obruta virtus*
Paupertate jacet: lectos ex omnibus oris
Evehis, & nunquam meriti cunabula quæris,
Sed qualis, non unde Sabus.

Revertamur vero ad *Mæcenatem*. Is, ut non temere amicos eligebat: ita electos non cessabat deinceps omnimodis ornare, summisque beneficiis, ut jam dixi, sibi devincire. Idque ut faceret,

Nun-

Nunquam divitias nigrantibus abdidit umbris,
Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre
Suevérat innumeras hominum ditare catervas,

ut Claudiani iterum versibus utar ex Panegyr. in Probum. Ostendemus vero id paucis ex amicorum aliquot
12 catalogo, quem subnectemus. Et quia Poëtas præ aliis maximi fecit, quaque potuit, promotum ivit, principe loco *principem Poëtarum Virgilium* recte collocabimus. Hunc enim & impense amavit & fovit, & absque ipso fuisset, nos hodie & hujus & plurium aliorum monumentis careremus. Eaque re sola, si alias dempseris, videtur Mæcenas *meruisse, ne ejus nati Remp. pœniteret, ac bona malis repensasse*, ut de Mario, quanquam alia in re loqui-
13 tur Velleius lib. II. De *Georgicis Virgilii* primo audiamus Auctorem vitæ Virgilii, cujus non ita pridem meminimus. *Georgica*, inquit, *Virgilius in honorem* Mæcenatis *edidit, quum sibi vixdum noto opem tulisset adversus Claudii veterani militis, vel ut alii volunt* (inter quos Servius Comm. in Bucol.) *Arii Centurionis* (Probus Grammaticus in vita Virg. *Milienum Toronem* primipilarem vocat) *violentiam, à quo in altercatione litis agrariæ parum abfuit, quin occideretur.* Addit *Mæcenatem* in Georgicorum recitatione coram Cæsare aliquando legentis vicem subiisse. *Georgica* (ita enim pergit) *reverso ab Actiaca victoria Cæsare, atque reficiendarum virium caussa Atellæ commoranti, per continuum quatriduum legit, suscipiente Mæcenate legendi vicem quoties interpellaretur ipse vocis offensione.* Sed & *AEneidem* nos Mæcenati debere testis est jam dictus Pa-
14 negyrici in Pison. auctor. Versus sunt isti:

Ipse per Ausonias AEneia carmina gentes
Qui canit, ingenti qui nomine pulsat Olympum
Mæoniumque senem Romano provocat ore;
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra

Quod

Quod canit, & sterili tantum cantasset avena,
Ignotus populis, si Mæcenate *careret.*

Testis Martialis lib. IIX. epigr. LVI. 15

Iugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oves.
Risit Tuscus eques, *paupertatemque malignam*
Reppulit, & celeri jussit abire fuga.
Accipe divitias, & vatum maximus esto:
Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat Domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu.
Et libata dedit roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum solicitare Iovem.
Excidit attonito pinguis Galatea Poëtæ
Thestylis & rubras ignibus usta genas.
Protinus Italiam concepit & Arma Virumque;
Qui modo vix Culicem fleverat ore levi.

Idem insinuat C. Soll. Sidonius Apollinaris in præfat. Pa- 16
negyr. Jul. Majoriano dicti:

Quid faciat lætas segetes, quod tempus arandum,
Messibus & gregibus, vitibus atque apibus:
Ad Mæcenatis *quondam sunt edita nomen;*
Hinc, Maro, post audes Arma Virumque loqui.

Focas insuper Grammaticus in vita Virg. Mæcenatem in- 17
ter Virgilii patronos & amicos recenset, quando ait:

Tum tibi Sironem, Maro, contulit ipsa magistrum
Roma potens, procereſque suos tibi junxit amicos.
Pollio, Mæcenas, *Varius, Cornelius ardent;*
Et sibi quisque rapit per te victurus in ævum.

Unde etiam appositè Octavius Cleophilus Fanensis, in eleganti poëmate, quod Cœtum Poëtarum inscripsit, ita Virgilium de se ipso introducit loquentem:

Ipse ego, dum patrios dux possidet Arrius agros,
Non potui Aonidum pauper adire nemus.
Forsitan & nunquam venisset ad Arma Virumque
Musa, nec AEneæ Sidoni juncta fores;
Ni meus, Etruscis Mæcenas *regibus ortus,*
Innumeras læta fronte dedisset opes.
Ille mihi segetes reddi curavit ademptas,
Et possessa feri militis arva manu.
Qua veteres fagus ramos effuderat: & qua
Tardus limosis Mincius errat aquis.

18 Alter à Virgilio in gratia apud Mæcenatem fuit *Horatius*,

Romanæ fidicen lyræ.

De hujus poëmatibus si quæras, cui ea debeamus? *Mæcenas*, respondebit iterum Panegyrici Auctor,

Carmina Romanis etiam resonantia chordis,
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.

19 Bruti quoque & Cassii partes sequuto, idem Mæcenas præsidio fuit, & veniam ab Augusto impetravit, quod jam ante tetigimus. Agro insuper Sabino clientem donavit,
20 teste Horatio ipso lib. II. Carm. Ode XIIX. ubi de Mæcenate ait:

---- *Nec potentem amicum*
Largiora flagito.
Satis beatus unicis Sabinis.

Quo refero & illud lib. III. Ode XVI.

Nec si plura velim, tu dare deneges.

Et quod est in Epodis, Ode I.

Satis superque me benignitas tua
Ditavit.

Nec immerito Mæcenatem idem Ode I. Horatius vocat
21 ---- *præsidium & dulce decus suum:*
& lib. II. Ode XVII.

sua-

---- ---- *suarum*
Grande decus columenque rerum:

& lib. I. epist. II. *rerum tutelam suarum.* In pace nempe decus; præsidium, columen & tutelam in bello. *Decus* enim 22 ad pacis ornamenta pertinet: *præsidia* vero & *columina* ac *tutelæ* vocantur viri bellicosi & militiæ periti, ut ex Tacito de morib. Germ. erudite notat Caspar Barthius Adversar. lib. XXIV. cap. XIV. Utrumque Mæcenatis amicum, Virgilium & Horatium conjungit Martialis lib. I. epigr. CIIX. ad Lucium Julium:

Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Mæcenas *Flacco Virgilioque suo.*

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

SUMMARIA.

1. *Inter amicos Mæcenatis etiam Propertius.* 2. *& Varius.* 3. *& Marsus.* 4. *Mæcenatis ex Panegyrico in Pisonem laus.* 5. *Familiaris Mæcenatis Areius Philosophus.* 6. *Augusti amicus.* 7. *Georgii Remi conniventia.* 8. *Melissus Grammaticus.* 9. *Mæcenas, Melissus cognominatus.* 10. *Mæcenatis amici plures συνήθως indicati.* 11. *ejus domus literatorum asylum.* 12. *Doctorum virorum labores Mæcenati inscripti.* 13. *Virgilii, Horatii, Propertii, Pedonis* 14. *An Virgilii Copa Mæcenati inscripta.* 15. *Sabini Tironis κηπευτικὰ ad Mæcenatem.* 16. *Cassii Severi quadam ad eundem.* 17. *& Cassii Hemina, ut quidam voluerunt.* 18. *qui refelluntur.* 19. *Augusti Commentarii Mæcenati inscripti.* 20. *eidem inscripta, suppositicia.* 21. *inter quæ Epistolæ Horatii.* 22. *& Hippocratis.* 23. *Isagoge Sorani.* 24. *Instructio Musæ ad bonam valetudinem.* 25. *Liber de Dynamidiis.* 26. *Mæcenatis nomen in Proverbium abiit.* 27. *ut Harbonæ.* 28. *& Catonis.* 29. *Id proverbium alludit Auctor Panegyrici Pisoniani.* 30. *& Martialis.* 31. *& Iuvenalis* 32. *Causa raritatis doctorum virorum.* 33. *Mæcenatiani nominis hodie abusus.*

PRimo amicorum Mæcenatis pari, Virgilio & Horatio, 1 tertius accedat *Propertius*. Is *Mæcenatem* fautorem suum, ac ducem moderatoremque studiorum agnoscit,

laudique sibi ducit, quod partes ejus fuerit sequutus. Verba sunt lib. II. eleg. VII.

Mæcenas, *nostræ pars invidiosa juventæ,*
Et vitæ & morti gloria justa meæ.

Et lib. III. el. VII.

Mollis tu cæptæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immissis da mihi signa votis.

& porro:

Hoc mihi, Mæcenas, *laudis concedis, & à te est,*
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

Nec prætereundus est *L. Varius*, Tragœdiarum scriptor, Virgilio & Horatio non semel laudatus. Eum *cum quovis veterum contendi posse* censet Quinctilianus lib. x. cap. I. & *Thyesten* ejus Junius Philargyrus Notis ad Eclog. IIX. Virg. omnibus aliis præferendam affirmat. Acro ad Horat. Carm. lib. I. Od. VI. *Oratorem perfectum*, Porphyrio *Virgilii contubernalem* vocat, & *Eclogas* insuper scripsisse
3 addit. Nec omittendus *Domitius Marsus*, Epigrammatum Poëta nobilis; non *Amazonidis*, seu belli Herculis cum Amazonibus scriptor. Illum enim Catullo æquat Martialis lib. VII. epigr. XCIIX. & se similem ipsi futurum sperat lib. IIX. ep. LVI. modo Mæcenati similem inveniat fautorem: hunc vero levem vocat, & qui parum à doctis legatur, lib. IV. ep. XXIX. Sed audiamus de Vario & Mario etiam alios. Auctor Panegyrici in Pison.

Et tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit numina soli,
Mæcenas: *tragico quatientem carmina cæstu*
Evexit Varium.

Martialis lib. XII. epigr. IV.

Quod Flacco Varioque fuit, magnoque Maroni,
Mæcenas, *atavis regibus ortus eques.*

item lib. VII. ep. IV.

Et

Et Mæcenati *Maro cum cantaret Alexin,*
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

atque iterum lib. IIX. ep. LVI. de Mæcenatis clientibus:

Quid Varios Marsosque loquar, ditataque Vatum
Nomina? magnus erit quos memorare labor.

Atque hic favor, hic affectus *Mæcenatis* in poëtas, tantum 4 potuit, ut Auctori Panegyrici sæpe dicti, sequentes de ipso exprimeret versus:

O decus, in totum merito venerabilis ævum,
Pierii tutela chori, quo præside tuti
Non unquam vates inopi timuere senectæ.

Familiaris præterea Mæcenati fuit *Areius Philosophus*, ut 5 refert Ælianus Var. hist. lib. XII. cap. XXV. ubi de iis agit, quos sæpe magni viri in consilia adhibuerint, aut alias eorum opera fuerint usi. *Etiam Lucullo*, inquit, *profuit Antiochus Ascalonita, &* Mæcenati *Areius, & Ciceroni Apollonius, atque Augusto ipsi Athenodorus.* Intelligit autem *Areium* 6 sive *Areum*, Philosophum Alexandrinum, quem Augusto quoque familiarem fuisse notat Suetonius Octav. cap. LXXXIX. *Deinde etiam*, inquit de Augusto, *eruditione varia repletus, Sphæri, Arei Philosophi, filiorumque ejus, Nicanoris & Dionysii contubernium iniit.* Eam familiaritatem Augusti & Areii celebrant scriptores etiam alii: Seneca lib. de consolat. ad Marciam cap. IV. Plutarchus in Antonio, & Apophthegm. Dion lib. LI. & LII. Themistius Orat. Augustali III. & Julianus Imp. in Cæsar. & in Ep. ad Alexandr. Notandum hic nobis obiter videtur Georgii Remi, viri 7 alioquin multijugæ eruditionis, παρόραμα, qui Comm. ad Orat. III. Themistii duos facit *Areios*, ex uno. Alium enim vult fuisse Augusti familiarem, de quo nunc nobis sermo; alium uxoris ejus Liviæ Augustæ, cujus Seneca mentionem loco fâciat adducto, quique sub Nerone vixerit. Verum si quis recte perpendat Senecæ verba, non alium de-

prehendet esse ejus Areium, ab Augusti illo familiari. Vocat enim Seneca Areium suum, *viri Liviæ*, id est, Augusti, *Philosophum*: Areius ipse, verbis Senecæ in Consolat. ad Liviam, se vocat *viri Liviæ* (Augusti) *comitem adsiduum*: ut nemo pro alio, quam Augusti Areio & amico
8 præsumere quicquam possit. Sed hæc obiter. Præ cæteris in *Mæcenatis* amicorum tabulas referendus est *C. Melissus*, Grammaticus celebris. De eo audiamus Suetonium lib. de clar. Grammat. c. XXI. *C. Melissus*, inquit, *Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit: ac* Mæcenati *pro Grammatico muneri datus est. Cui quum se gratum & acceptum, in modum amici videret, quanquam adserente jam matre, permansit tamen in statu servitutis: præsentemque conditionem veræ origini anteposuit. quare cito manumissus & Augusto insinuatus est. Scripsit libros Ineptiarum*, sive *Iocorum*, & novum genus Togatarum fabularum, quas *Trabeatas* inscripsit. Meminit ejus Ovidius lib. IV. de Ponto. eleg. XVI.

Et tua cum socco Musa, Melisse, levis.

Meminisse etiam videtur Sosipater Charisius Instit. Gram-
9 mat. lib. I. Adsumpsit autem à manumissione Patroni nomen, & *C. Mæcenatem Melissum* se dixit, quod ab initio notabamus, cap. I. Ex eodem porro numero fuisse, & ad amicos Mæcenatis pertinere autumo, quorum catalogum texit Horatius, & cum Mæcenate ipso, atque etiam Augu-
10 sto conjungit lib. I. Serm. Sat. X. & alibi. *Fundanius* nempe, Comœdiographus excellens, atque Horatii testimonio

Arguta meretrice potens, Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos
Vnus vivorum.

Fuscus Aristius, nobilis Grammaticus, quem Satyra præcedente

dente *sibi charum* dixerat Horatius, & cui Oden XXIV. libri I. & Epistolam X. lib. I. inscripsit. *Plotius Tucca*, quem Sat. V. à candiditate laudaverat idem, Æneidos cum Vario emendator. *C. Valgius Poëta*, vir Consularis; qui unus illustrium, eruditione spectatus, ad Augustum scripsit de *Herbarum usu*, ut Plinius notat lib. XXV. cap. 2. Ei inscripta est Ode IX. lib. II. De eo Tibullus lib. IV. eleg. I.

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus
Valgius, æterno propior non alter Homero.

Asinius Pollio, Tragœdiæ trimetris versibus conscriptæ auctor, de quo Virgilius Eclog. III.

Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam,
Pollio & ipse facit nova carmina.

Viscus Vterque, par nobile fratrum, & vel Poëtæ vel Critici, filii Vibii Visci, qui Augusti amicus, ut Acro vult, in equestri dignitate permansit, quum filios Senatores fecisset. *Pedius Publicola* & *Messalla Corvinus*, itidem fratres, Oratores optimi, qui Græcis verbis uti noluere, & propterea multa Latina vocabula nove finxerant, ut Acro & Porphyrio sunt testes. *C. Furnius*, sive pater, sive filius: ille Tribunus plebis, hic Consul sub Augusto: utrumq; inter claros Oratores habitum in Chron. refert Eusebius, filium vero ante patrem decessisse. *Heliodorus* denique *Rhetor*, cujus etiam cap. IX. meminimus: item *Servius*, *Bibulus uterque*, pluresque alii. Erat enim, ut vere ait Trajanus Boccalinus ne- 11
gli Ragguali di Parnaso, Centur. III. Ragg. XXXIV. Mæcenatis domus *un sicuro porto de' Vertuosi & l'asilo de' Letterati: securus virorum virtute præstantium portus, & literatorum asylum.* Ex tam propenso vero in literatos amore ac 12
favore id præmii inter cætera retulit *Mæcenas*, ut celebriores doctissimorum hominum lucubrationes ipsius virtuti consecrarentur,

---- *nec*

---- *nec Phœbo gratior ulla,*
Quam quæ ejus sibi præscripsisset pagina nomen,

13 crederetur: Supersunt etiamnum hodie, & legentium animos afficiunt, *Virgilii*, *Horatii*, *Propertii*, *Pedonis monu-*
14 *menta*, quæ id testentur. Quod tamen Jodocus Badius Ascensius Comm. in Virg. *Mæcenati* etiam inscriptam sibi persuasit *Copam Virgilii*, id æque probare poterit, quam quod Pomponius Sabinus asseruit, *Copam* nomen esse proprium servæ Mæcenatis. In eum vide illustrem virum Jos. Scaligerum Notis ad Copam, & adde quæ habet in Conject. ad Varron. lib. IV. de LL. Multa interim alia exstitisse olim, nomini Mæcenatis inscripta, indubium est: sed quæ
15 temporum injuria intercidere. Inter ea fuerunt Κηπευτικὰ, seu libri *de re hortensi*, à Sabino Tirone Mæcenati dica-
16 ta, quorum meminit Plinius lib. XIX. cap. X. Alia Cassium Severum ad ipsum perscripsisse testatur Sosipater Charisius lib. I. ubi ait: *Gausapa Ovidius neutrum dixit: Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba. & Cassius Severus ad* Mæce-
17 natem: *gausopo purpureo salutatus*. Id repetit Priscianus lib. VII. Præter Cassium Severum etiam Cassium Heminam Historicum Annales suos Mæcenati inscripsisse credidit Joan. Simlerus in Epit. Biblioth. Gesn. quem sequitur Popelinierus lib. V. de Hist. & in testimonium citant
18 Priscianum. Errant autem errorem non mediocrem. Floruit enim Hemina Ludis secularibus quartis, anno V. C. Io C IIX. ante natalitia Domini CXLIV. C. Corn. Lentulo & L. Mummio Achaico Coss. ut liquet ex Censorino de die natali c. XVII. ante obitum Mæcenatis CXXXIIX annis integris: ut is propterea ad hunc nihil destinare potuerit. Nec Cassii Heminæ ad Mæcenatem, sed tantum Cassii simpliciter meminit Priscianus. Intelligendus igitur Cassius Severus, de quo dixi. Is ultimis Augusti temporibus, & sub Tiberio vixit. Plinio lib. VII. cap. XII. *Ora-*
tor

tor celebris, D. Hieronymo in Chron. *egregius* appellatur. Adi si lubet, Ger. Io. Vossium in Prætermiss. ad lib. I. de Histor. Lat. cap. XXI. Verum præter alios, ipse *Augustus Im-* 19
peratorum maximus *Commentarios* suos *Mæcenati* & Agrippæ, principi amicorum pari inscripsit, ut auctor est & testis Plutarchus in parallelis Ciceronis & Demosthenis. Hos duos enim *ea* ait Plutarchus *valuisse dicendi & Remp. administrandi peritia, ut etiam ex iis, qui castris & exercitibus præessent, Demosthenis indiguerint Chares, Diopithes, Lycosthenes; Ciceronis vero Pompeius & Cæsar Octavius: idque ipsum Cæsarem in suis ad* Mæcenatem *& Agrippam Commentariis* (ὑπομνήματα vocat) *commemorasse*. Quos quidem Commentarios Augusti fuisse autumo illos ipsos, qui eidem Plutarcho in Antonio & Bruto, item Appiano lib. IV. ἐμφυλ. & in Illyricis, & Dioni lib. XLIX. citantur; quorum Suidas & Suetonius in Oct. c. LXXX. volunt fuisse XIII. Tu iterum vide doctiss. Vossium de Hist. Lat. lib. I. c. XIIX. & Janum Rutgersium lib. II. Var. Lect. cap. XIX. Multa ve- 20
ro etiam supposititia & olim exstitere, hodieque circumferuntur, *Mæcenatis* nomine præscripta. Supposititia 21
etenim fuit *Epistola* illa, pedestri sermone & *Horatii* nomine, quasi commendantis se *Mæcenati*, evulgata, quam Suetonius se vidisse refert in vita Horat. Supposititia est 22
Hippocratis, at cujus? *Epistola*, Latine ad Mæcenatem directa, quæ inter principum Medicorum volumina procusa exstat. Supposititia est *Isagoge*, quæ *Sorani Ephesii* nomine 23
circumfertur, cujus auctor cap. V. Mæcenatem alloquitur. Soranus enim senior (nam junior magis adhuc recens est, quod cognomen indicat) si Suidæ credimus, Trajani & Adriani Impp. ævo floruit, nec Mæcenatem noviisse quivit. Isagoge quoque ipsa, vix digna est, quæ ignobili medico, nedum Sorano adscribi mereatur. Lector, ubi otium erit & animi lubido, Marsilium Cagnatum

adeat Variar. Lect. lib. IV. cap. III. & nos propediem in
24 Syntagm. de Medicis & rei Med. scriptor. Suppositítius item est *Antonius Musa* cujus *Institutio ad bonam valitudinẽ*, Mæcenati dicata, circumfertur, quam frustra ut genuinam obtrudere nobis voluit Franciscus Emericus, qui edi-
25 dit. Suppositítius denique est *liber de Dynamidiis*, Mæcenatis nomen præferens; quem fuere qui postmodum Galeno tribuerent, maximam vero partem ex Aëtio desumptum adparet. Nos suo loco eum *Gariponto* medico, quem
26 ita vocant, adseremus. Tandem vero, ob summa in rem literariam & literatos merita, transiit *Mæcenatis nomen* in proverbium, non secus atque *Harbonæ* apud Judæos olim,
27 aut *Porcii Catonis* apud Romanos. *Harbona*, ut est in fragm. Estheræ cap. I. vers. X. Cubicularius fuit Assueri, sive Artaxerxis Persarum regis, ac Mardochæo contra Hamanum patrocinabatur. Ea re factum, ut progressu temporis Judæi quemvis piorum ac religiosorum patronum vocitarent *Harbonam*, quod notat Matth. Martinius Lexico
28 Philolog. in voce Mæcenas. De Porcio Catone Valerius Maximus lib. II. cap. ult. ait: *Si quis sanctum & egregium virum significare velit, sub nomine Catonis definiet.* Nos de Mæcenate: *Si quis literarum literatorumque patronum salu-*
29 *tare voluerit*, Mæcenatis *nomine appellabit.* Atque hoc sensu jam olim Auctor Panegyr. sæpe adductus Pisonem suum *Mæcenatis* nomine compellavit:

Tu mihi, Mæcenas, *tereti cantabere versu.*

Ubi *Mæcenas* pro fautore literarum sumitur. Neque alio
30 respicit Martialis, qui lib. IIX. epigr. LVI. inopiam excellentium sui seculi ingeniorum queritur esse *Mæcenatum* defectum:

Temporibus nostris ætas quum cedat avorum,
Creverit & major sub Duce Roma suo.
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quenquam tanta bella sonare tuba. *Sint*

Sint Mæcenates, *nec deerunt, Flacce, Marones*
Ingeniumque tibi vel tua rura dabunt.

Et lib. XI. ep. IV. se grande epos & vivax de bellis gestisque Cæsaris sonaturum promittit, si, ut alium Romæ DI dedissent *Augustum*, ita alium sibi darent *Mæcenatem:*

O quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria carmina flare tuba;
Quum pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenatem *si mihi Roma daret.*

Et alludit eodem Juvenalis Sat. VII. 31

Quis tibi Mæcenas, *quis nunc erit aut Proculeius?*
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus acer?
Tunc par ingenio pretium &c.

Item Sidonius de Petro quodam:

At mihi Petrus erit Mæcenas *temporis hujus:*
Nam famæ pelagus sidere curro suo.

Languent nempe, quod innuunt auctores isti, & fatiscunt 32
ingenia, cessant studia, ut minus decora, & sordent; si desint patroni, si labori & curis præmia, ingeniorum excitamenta. At viceversa, ut Claudiani verbis utar Paneg. II. in Stilic.

——— *egregios invitant præmia mores.*
Hinc priscæ redeunt artes, felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ
Colla levant,

& de insciția ac barbarie triumphant. Interim vero hoc in 33
loco & illud notandum, nostris hodie moribus maximum in *Mæcenatum* appellatione committi abusum, & vulgo nomen illud augustum, quod eorum esse debebat, qui singulari liberalitate in literas & literatos fuerant usi, illis sæpe tribui, qui nihil minus merentur. Unde non præter rationem Trajanus Boccalinus, loco paullo ante laudato, *Mæcenatem*, Mæcenatem coram Apolline in Parnaso in-

troducit quiritantem: *che il suo nome sregolamente senza le debite circonstanze, da alcuni vili & affamati letteratucci, per picciolissima mercede dai Prencipi, venisse sciallacquato: nomen suum ultra decorum, nec observatis circumstantiis, à nihili & famelicis literatorculis, ob vilissimam stipem, quam à Principibus recipiunt, prodigi.* Verum nos ad alia pergimus.

CAPVT DECIMVM-NONVM.

SVMMARIA.

1. *Ad vitia Mæcenati objecta progressio.* 2. *Ex Plutarcho modus tractandi hominum vitia.* 3. *quibus nemo caret.* 4. *Ea de re Plinii locus.* 5. *& Senecæ geminus.* 6. *qui sæpe tamen non sui similis.* 7. *Invidiæ in virtutem æmulatio.* 8. *crimina etiam fingendo, ubi nulla sunt.* 9. *Mæcenatis vitia summatim recensita.* 10. *Cingula ad quid veteres usurparint.* 11. *Accingere se operi.* 12. *Cinctura, habitus Medici.* 13. *& viri gnavi.* 14. *Tunicæ demissitiæ.* 15. *Male præcinctus puer, Cæsar.* 16. *Capite palliolato incedere.* 17. *Demetrii Pompeiani liberti exemplum.* 18. *Mæcenatis habitus, luxus, è Seneca.* 19. *Deliciæ, ex eodem.* 20. *Mores pravi & singulares.*

1 DUm facta virtutesque *Mæcenatis* enarramus, præterire omnino nec ea possumus, in quibus humani aliquid passus fuit. Id qua ratione in universum recte fiat, aut fieri fas sit, examussim optime nos docet Plutarchus præfat.
2 in Cimon. & Lucull. *Nam ut pictores*, inquit, *qui decoras & eximie venustas pingunt imagines: si quid insit iis levis vitii, nolumus, neque ut prætereant id prorsus, neque ut undequaque exprimant: quippe hoc deformem, illud discrepantem reddet effigiem. Ita quando arduum est, vel fieri non potest potius, ut hominis ostendatur ullius vita, quæ omni vacet macula & pura sit: veritas sicut simulacrum in honestis complenda est. Illas vero, quæ ex motu animi aliquo, vel ex Reip. temporibus intercurrunt actionibus, offensas & vitia, quia claudicationes potius*

potius virtutis alicujus, quam improbitatis ea fraudes existimamus, non debemus nimium diligenter & ad amussim in scribendo explicare: sed tanquam rubore capti sortis humanæ, quæ nihil boni sincerum, neque mores ad vitam edat inculpatos. Hæc optime Plutarchus: quem imitari constituimus, quantum per illos licebit, qui minima etiam *Mæcenatis* vitia immane quantum exaggerant. Nam quod de
3 Augusto Epitomator Aurelii Victoris cap. 1. dicebat, *Non vitiis tantus vir caruit*: aut de Pausania Cornelius Nepos in vitis, *ut virtutibus eluxit, sic vitiis fuit obrutus*: id neque de nostro heroë inficiari nos volumus, sed ultro & libere fateri. Commune hoc habuit cum omnibus quos, Sol olim vidit, videtque, aut visurus est. *Nemo extitit cujus vir-* 4 *tutes nullo vitiorum consinio læderentur*, inquit Plinius Panegyrico Trajani. *Et fieri non potest, ut omnes virtutes in humana sint natura; nec ullus unquam è mortali ac caduco semine vir absolute bonus nascetur*, ut de M. Coriolano loquitur Dionys. Halicarnass. lib. IIX. *Erunt vitia, donec homines, sed neque continua, & meliorum interventu pensantur*, dicebat Petilius Cerealis apud Tacitum Hist. lib. IV. cap. LXXIV. Igitur recte Seneca lib. III. de Ira. cap. XXIV. *Pro* 5 *quocumque respondebimus vobis; sapientissimos quosque viros multa delinquere: neminem tam circumspectum, cujus non diligentia sibi aliquando excidat; neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum casus impingat; neminem tam timidum offensarum, qui non in illas dum timet incidat.* Atque iterum Epist. CXIV. *Nullum sine venia placuit ingenium. Da mihi quemvis magni nominis virum. dicam quid illi ætas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimularit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint: quosdam quibus profuerint. Dabo, inquam, maximæ famæ, & inter miranda propositos, quos si quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus immixta sunt, ut illas secum tractura sint.* Bonum vero fa- 6

ctum! si verba ista ἐν φρενῶν μυχῷ, non in summo ore tantum nata Senecæ fuissent. Nunquam enim tam curiose in vitia Mæcenatis anquisivisset; aut recte etiam dicta & facta non nisi cum aculeis, & manifesto animi invidentis indicio, in medium protulisset; atque ubi laudare ipsum aliquando cogitur, ita laudasset, ut vituperare simul nun-
7 quam non videretur. Verum ἅτως μὴ φέρεται μερόπων βίος. *Omne id, quod communem sortem excellit, invidiæ æmulationique aliorum est obnoxium*, inquit Dion lib. XXXIIX. *Hæc assidua eminentis fortunæ est comes, altissimisque adhæret*, ait Velleius lib.I. ut merito exclames cum Papinio Thebaid. lib. V.

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam invidiamque Deus? quis jussit iniquas
AEternum bellare Deas? nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares inconcussique penates.
Nil mœstum. quid enim, quamvis infida leviscque,
Cæsare tam dextro potuit Fortuna timeri?
Invenere viam liventia fata, piumque
Intravit vis sæva larem. Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Imbre seges nimio; rapidæ sic obvia puppi
Invidet & velis adnubilat aura secundis.

8 Nec sistit sæpe in livore suo invidia, sed & crimina in eum, cui invidet, sive nulla sint, sive modica, fingit & invenit plurima. *Legimus*, inquit Ammianus lib. XVII. *in veteres quoque magnificos Duces vitia criminaque, etiamsi inveniri non poterant, finxisse malignitatem, spectatissimis eorum actibus*
9 *offensam*. Verum lustrabimus omnia, quæ vel à Seneca, vel aliis *Mæcenati* vituperio data fuere: quorum tamen quædam jam ante quoque obiter tetigimus. In iis autem maxime

maxime sunt *habitus laxus & discinctus, caput palliolatum, mollicies in incessu, gemmarum unionumque studium, in histriones, parasitos & pueros amor; tum adulteriorum insimulatio; stilus denique à mollitie nusquam abiens, sed congruens vitæ, congenerque*. De habitu & vestitu primum videamus. 10
Olim qui aliquid serii facere parabant, *cingulo* vestes alioqui fluxas constringebant: quod proprie Latini dicebant, *accingere se operi*. quo modo & Medici, opus aggressuri 11
succingere se solebant: quam cincturam veteres *habitum* 12
medici dixere, ut pluribus docui Comm. ad Jusjur. Hipp. Hinc *cinctura* hominis gnavi, & modestæ disciplinæ animique; *habitus laxus & discinctus* hominum mollium ac 13
delicatorum, morumque dissolutorum habebatur argumentum. Hoc est, quod Anthemonides miles apud Plautum Pœnulo act.V. sc. V. dicebat:

Sane genus hoc muliebrosum, est cum tunicis demissitiis.

Et Sulla apud Suetonium Julio cap. XLV. de Julio Cæsare, 14
optimates sæpius monens, ut male præcinctum puerum caverent. Cæsar enim *laxiore veste delicate utebatur, & cinctu-* 15
ra laxiore, inquit Dion lib. XLIII. Etiam Cicero Catilinar. II. in Catilina notavit *amictum atque ad talos demissam purpuram*. Nec alio respexit Persius Sat. III. dum ait:

Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ.

Vide plura huc facientia apud Agellium lib. VII. cap. XII. Macrobium Saturn. lib. II. cap. III. & Servium ad lib. XII. Æn. Delicatorum insuper fuisse *capite palliato sedere* aut 16
incedere, ex Plutarcho in Pompeio, & Petronii Satyrico discimus. Plutarchus superbiam & delicias Demetrii, li- 17
berti Pompeiani, reprehendens, inter cætera notat, *quod subinde in conviviis, operiente atque excipiente alios Pompeio, ipse jam discubuerit, caput habens toga obtectum*. Petronius accubitum Trimalcionis, mollissimi bipedum, describens, *Pallio*, inquit, *coccino adrasum incluserat caput*. Adde

de Plautum, qui de Græcis, Curcul. actor. II. sc. III.

Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant.

Vide Criticorum nobilissimos I. Lipsium in Ampitheatro
18 cap. XX. & I. Gruterum Notis ad Senecam. Ejuscemodi autem habitu vestituque *Mæcenatem* usum, testis est potissimus Seneca Epist. CXIV. ubi & incessus ejus meminit, & luxus in comitatu, domo, & deliciarum plurium. *Quomodo*, inquit, Mæcenas *vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non oratio ejus æque soluta est, quam ipse discinctus?* Et mox de eodem: *Non statim, hæc quum legeris, tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in Vrbe semper incesserit? Nam etiam, quum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum à discincto petebatur.* Atque iterum: *Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrinque auribus, non aliter, quam in Mimo Divite fugitivi solent? Hunc esse, cui, quam maxime civilibus bellis strepentibus, & solicita Vrbe & armata, comitatus hic fuerit in publico: spadones duo, magis tamen*
19 *viri quam ipse?* Strictim quoque delicias ejus tangit Epist. CXX. *Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt: & modo parum severus est iis Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi & contentus vili Tubero: modo Licinium divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant.* Libro denique de Provident. cap. III. *Mæcenatem* vocat *marcidum & felicitate nimia laborantem:* additque; *non usque eo in possessionem generis humani vitia venisse, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam* Mæcenates *velint: aut si quis fuerit, qui audeat dicere* Mæcenatem *se quam Regulum nasci maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam*
20 *maluit.* Nec his contentus Seneca, Epist. CXIV. *mores* Mæcenati tribuit *novos, pravos & singulares.* Adde quæ ex

ex eodem, de luxu domus ejus, & supellectilis, atque etiam cœnarum, ex intervallo dicemus. Et hæc de Mæcenatis habitu, incessu, deliciis, voluptatibus, unus Seneca.

CAPVT VICESIMVM.

SVMMARIA.

1. *De habitu Mæcenatis Martialis locus.* 2. *& Iuvenalis.* 3. *Mæcenas an Malchini nomine Horatio notatus.* 4. *Malchinus unde dictus.* 5. Μάλθη *quid.* 6. Μάλθων *Suidæ.* 7. *Malchæ, molles.* 8. *Malchio.* 9. *Trimalchio quis.* 10. *Marci Velseri opinio.* 11. *Ingratitudo Horatii, si Mæcenatem notasset.* 12. *& periculum.* 13. *Convitia spreta exolescunt.* 14. *Mæcenatis Augusto datum consilium.* 15. *Excusatur Horatius.* 16. *Malchinus Pop. Rom. Legatus per exercitum.* 17. *Mena & Demetrius, Pompeiani liberti.* 18. *Mæcenatis incessus ex Seneca.* 19. *Mæcenas supinus.* 20. *Supini,* ὑψαύχενες.

DE habitu discinctu, vestituque Mæcenatis molliori à 1
Seneca non variat Martialis epigr. LXXIII. lib. X. ubi de toga elegantiori, à M. Antonio Tholosano sibi donata, ait ejusmodi eam esse,

Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti;
Vellet Mæcenas, Cæsarianus eques.

Neque aliorsum it Juvenalis, dum in proverbium fere tra- 2
hit in re ista nomen *Mæcenatis* Sat. XII.

Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus;
Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus *aptam.*

Sunt vero, qui & ab Horatio Mæcenatem ob habitus in- 3
cessusque mollitiem proscissum volunt. Id primum ausus fuit asserere Acron, aut quis alius is est auctor, qui Horatium sub ficto *Malchini* vel *Malthini* nomine traduxisse Mæcenatem notavit versu illo ex lib. I. Sat. II.

Malthinus tunicis demissis ambulat.

Acronem sequuntur Porphyrio, Julianus Aurelius, Jodocus Badius, P. Gualtherius Chabotius, & non pauci commentatores alii. Raphaël Volaterranus Comm. lib. XVII. μνημονικὸν peccavit ἁμάρτημα, dum Mæcenatem dictum putavit *Malacinum*, & quidem ab Augusto. De hoc enim
4 id nunquam probaverit, nec de alio. *Malthinum* autem Acro & Porphyrio dici volunt à μαλθακὸς, *mollis*; aut ut Hesychius exponit, ἐκλυτὸν, γυναικοήθης, *dissolutus*, *muliebrosus*. Scholiastes Theocriti Idyl. VII. interpretatur τρυ-
5 φερὸν, *delicatum*. At Nonius ἀπὸ τῆς μάλθης deducit, quæ est *pix cum cera mixta*; sive κηρὸς μεμαλαγμένος, ut docent Galenus in Exegesi vocum Hipp. Suidas, Hesychius & Harpocration in Lexicis, item Pollux Onom. lib. IX. cap. IV. aut κηρὸς ἁμόλγῃ συνεψημένος; ut vult Theocriti inter-
6 pres. Hinc μάλθων Suidæ γυναικῶν, *effœminatus*, mollis;
7 *Malthæ*, veteribus Latinis, ut Festus & Nonius volunt, *molles* dicti: quorum sententiam sequuntur Turnebus Advers. lib. VI. cap. IX. Lambinus, Glareanus, Pulmannus & Chabotius in Comment. ad Horatii locum, & Barthius
8 Advers. lib. XXXIIX. cap. VI. Tales vero qui sunt, *Malchiones* Martialis vocaverit, ut ex lib. III. epigr. LXXXI. liquet, ubi de Zoilo ait:

Hos Malchionis patimur improbi fastus.

9 neque alio sensu Petronius profligati pudoris nebuloni *Trimalcionis* nomen fecit. Estque *Trimalcio*, τρὶς μαλακὸς,
10 ut Latinis alias *tricorpor*, *triparcus*. Quanquam sciam virum magnæ eruditionis, olim parenti meo amicissimum, Marcum Velserum, *Trimalcionis* originationem longius arcessere, & interpretari *regium*, imo *triregium*: ex eo quod *Malchus* Syrorum lingua *rex* dicatur, Eunapio teste in vita Porphyr. Tu vide Velserum ipsum, Rerum August. Vindelic. lib. V. cui paria habet Rein. Reineccius Hist.
1 Jul. part. III. regno XX. Verum *ingratus Horatius*, ut merito

rito exclamat Jul. Cæs. Scaliger Poët. lib. III. cap. XCIIX. *atque animo barbaro atque servili: qui ne à* Mæcenate *quidem abstinere potuit, siquidem verum est, Malchinum ab eo appellatum, cujus demissas notaret tunicas. Ager enim Sabinus, quo canicula illa à divino viro donata fuerat, tantus tantique erat, ut objectu suo posset malefici oculi visum intercipere, quo minus tunicarum demissione offenderetur.* Hæc vir 12
magnus & illustris. Forte autem nec impune fuisset Horatio, si vivum adhuc Mæcenatem ac florentem publicè traducere in scriptis fuisset ausus. Nisi dicere velimus, ea 13
animi magnitudine fuisse *Mæcenatem*, ut *convitia* sibi facta vel contemneret vel dissimularet: ut *quæ*, Taciti monitu Ann. lib. IV. cap. XXXVI. *spreta exolescant, si irascare, agnita videantur.* Certe consilium non aliud Mæcenas ipse dat 14
Augusto apud Dionem lib. LII. *Quod convitium tibi aliquis fecerit,* inquit, *aut obtrectaverit, neque deferente aliquo audire, neque ulcisci debes. Turpe enim fuerit, te credere, inventum, qui te neminem lædentem, omnibus benefacientem, ignominia affecerit: idque soli faciunt mali, quos ad fidem dictis habendam, conscientia movet. Deinde iniquum est, ea ægre ferre velle, quæ multi hæc vindicantes, pluribus ac gravibus de se sermonibus occasionem præbuerint.* Verum ego cum 15
Tiraquello in Semestr. ad Al. ab Alex. Gen. dier. lib. V. cap. XIIX. Lambino item, Barthio, aliisque, ab Horatio Mæcenatem non tangi, nec sub *Malthini* nomine notari, affirmare malim, ac proximius veritatem putare, alium quempiam hic proscindi; seu verum hujus *Malthinus* fuerit nomen, seu sub ficto illo *Demetrius*, ut quidam volunt, aut *Sextus Menas*, Pompeiani liberti, intelligantur. Nam 16
Malthini nomine quosdam olim fuisse, Justinus fidem facit, qui lib. XXXIIX. cap. III. & IV. *Malthini* meminit, Romanorum per exercitum Legati, à Mithridate in Cappadocia fusi victique. Et de *Demetrio* ejusque mollitie paullo 17

ante quædam ex Plutarcho adduximus: *Menæ* vero *togam bis ter ulnarum*, qua Viam Sacram metitus fuerit, liberrima hac illac euntium indignatione, traducit Horatius in Epod. Ode IV. Utrumque exagitat etiam Plinius lib. xxxv. cap. ult. Quanquam autem *inceſſum* etiam *Mæcenatis* carpſerit Seneca, tamen quis ille fuerit, non indicavit: notius tantum eſſe, quomodo ambulaverit, quam ut narrari debeat, dixit. Colligas tamen aliquid ex Juvenali, qui Sat. I. ſupinum illum vocat:

Et multum referens de Mæcenate *ſupino.*

Sunt autem *ſupini*, ὑψαύχενες, ut interpretatur Caſaubonus ad illud Perſii Sat. I.

Seſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus.

Sunt ii, qui animo velut inflati, adeo erecto ingrediuntur corpore, ut in cælos oculi eorum ferantur, non multo ſecus, ac reſupinatorum. quod pluribus is ibi docte oſtendit. Ut ex hoc *Mæcenatem* etiam, ſive naturali vitio, ſive adſcititio, ὑψαύχενα ambulando inceſſiſſe conjiciat: atque id forte ſuperbiæ, aut elati animi, à quo tamen vitio longè is abfuit, ut jam ante oſtendimus, ſignum fuiſſe credidit Seneca.

CAPVT

CAPVT VICESIMVM-PRIMVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis gemmarum ſtudium. 2. & Iulii Cæſaris. 3. Iunius Thalætio Mæcenatis libertus. 4. Flaturarii. 5. monetarii. 6. Sigilliarii. 7. Laus Io. Kirchmanni. 8. Mæcenatis in Bathyllum favor. 9. Bathyllus quis. 10. Mæcenatis familiaris. 11. Labieni de ipſo reſcriptum. 12. Paraſiti Mæcenatis. 13. ejus menſa Paraſitica. 14. Nomentanus, Porcius. 15. Balathro, Vibidius. 16. Iortius, an idem cum Porcio. 17. Menſarum apud veteres formæ. 18. & fere rotundæ. 19. Mæcenati angularis. 20. Alexis. 21. an Pollionis puer. 22. Donatus Virgilio à Mæcenate. 23. Virgilius male intellectus. 24. Mæcenati adulteria improperata. 25. Galba & Cipius homines minime mali. 26. Cipii nomen, & de eo ſuſpicio Gruteri. 27. Genucius Cipius. 28. Cipii, Cornuti. 29. Andronici Comneni hiſtoria. 30. De Mæcenate & Iulia Auguſti filia ſuſpicio. 31. Mæcenas adulteri defenſor.*

SUccedit in criminatione *Mæcenatis gemmarum unionumque ſtudium.* Eo etiam flagraſſe Julium Cæſarem meminit Suetonius in Jul. cap. XLVII. Idem de noſtro prodit Epigramma quod in luctu ipſius ad Horatium perſcripſit: & tangit D. Auguſtus in fragm. Epiſt. ad Mæcen. apud Macrobium lib. II. cap. IIX. in quo homini deliciarum & gemmarum amanti, meras rerum gemmarumque delicias loquitur. Utrumque, & Mæcenatis ipſius & Auguſti fragmentum paullo poſt integrum, dabimus. Confirmare idem videtur inſcriptio antiqua, *C. Iunio Thalationi* poſita, Mæcenatis liberto, quem gemmis ſcalpendis auroque includendis habuit.

C. IVNIO. THALATIONI
C. MÆCENATIS. LIBERTO
FLATVRARIO
SIGILLIARIO
C. IVNIVS. EVOKATVS. FELIX
TIT. D. D.

4 *Flaturarii* autem olim in genere dicebantur, qui flando aliquid conficiebant. Gloſſæ veteres: χωνδτὴς, *conflator*. Meminit ejuſcemodi flaturarii inſcriptio alia, quæ Romæ viſitur ad D. Bartholomæum in Inſula Tiberina:

D. M
SETLIÆ. NICES
VIXIT. ANN. XXXVI
MENS. VI. DIES. XXI
C. SETLIVS. ONESIMVS
FLATVRAR. DE. VIA. SAC
CONIVGI. B. M. F

5 Alias preſſius *flaturarii* vocabantur *auri argentique monetarii*. Docet id inſcriptio alia quæ Romæ eſt in vinea Cardinalis Carpenſis:

DIS. MANIBVS
M. VLPIVS. AVG. LIB. SYMPHORVS
FLATVRARIVS. AVRI. ET. ARGENTI. MONETAR.
SIBI. ET. VLPIÆ. HELPIDI. &c.

Meminit horum etiam Conſtantius Imp. in L. VI. Cod.
6 Theodoſ. de falſa moneta. At *flaturarii Sigilliarii* fuere, qui & annulos conflabant ex auro argentove, aut metallo alio, & iiſdem ſimul gemmas includebant, aut ſigna gemmis vel metallo incidebant inſculpebantque, Græcis δα-
7 κτυλιογλύφοι. Adi, ſi lubet, multijugæ eruditionis virum, amicum olim noſtrum, Jo. Kirchmannum, lib. de Annu-
8 lis. cap. XI. Verum & illud Mæcenati vitio datum legimus,
9 quod *Bathyllo* ſaltatori plus nimio indulſerit & Paraſitis. Fuit *Bathyllus* is Pantomimus celebris, patria *Alexandrinus*, quantum ex Athenæi lib. I. colligimus, *Pyladis* ὁμοτέχνε æmulus. Et Pyladen quidem in Comœdia, Bathyllum in Tragœdia excelluiſſe, auctor eſt Seneca Rhetor Decla-
10 mat. lib. III. Atque *in hujus amorem* Tacitus Annal. lib. I. cap. IV. *Mæcenatem* ſcribit fuiſſe *effuſum*. Dion lib. LIV. Mæcenatis

cenatis προσήκοντα, ſeu *familiarem*, aut *neceſſarium* vocat. Gloſſæ veteres in Perſium *Mæcenatis libertum* nominant. Meminit ejus Phædrus lib. V. fab. LXXXVII. Juvenalis Sat. VI. & Zoſimus Hiſt. lib. I. in princ. Reſcriptum quoque 11
Labieni JCⁱ pro Bathyllo citat Seneca Rhetor Controverſ. lib. V. in præf. ad filios. De diſcrimine vero Bathylleæ & Pyladeæ ſaltationis vide Plutarchum Sympoſ. lib. VII. quæſt. IIX. & Athenæum lib. I. De *Paraſitis* Mæcenatis li- 12
quet ex D. Auguſto. Hic enim paraſitorum illius cauſſa, in
Epiſt. ad Mæcen. apud Sueton. in vita Horatii, *menſam* 13
Mæcenatis vocat *paraſiticam*. Ex iis Horatius Serm. lib. II.
Sat. IIX. nominat *Nomentanum* & *Porcium*, ac *Mæcenatis* 14
umbras vocat, quod euntem ad convivia non invitati ſequerentur, ut umbra corpus. Sunt tamen, qui per umbras
Mæcenatis ibi intelligant *Balathronem* & *Vibidium*, nam & 15
horum ſimul meminit Horatius. Verba ita habent:

Summus ego, & prope me Viſcus Thurinus, & infra
Si memini, Varius, cum Servilio Balathrone
Vibidius, quos Mæcenas *adduxerat umbras:*
Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infra.

Prout enim aliter atque aliter diſtinxeris, vocabulum *quos* tum ad Balathronẽ & Vibidium, tum ad Nomentanum & Porcium referri, Porphyrio cæterique interpretes notant. Homines vero ad unũ omnes fuere nihili & diſſoluti. Præ- 16
ter eos Suidas *Iortii* etiam paraſiti meminit, ejuſq; ἄκρατον κολακείαν, *impudentem aſſentationem* ex Plutarcho notat. Niſi mendum forte ſit apud Suidam, & pro *Iortio*, ex Horatio reponendus *Porcius*. Menſam autem Mæcenatis angularem, Jortius hic, ſive Porcius, rotundam dixerat. Veteres enim licet omnis generis menſis uterentur, ro- 17
tundis, lunaribus, longis ut pluribus nos docuerunt P. Ciacconius lib. de Triclinio, J. C. Bulengerus lib. II. de Imp. Rom. cap. XXXIV. Thomas Dempſterus Annot. ad Roſini

Antiq.

18 Antiq. Rom. lib. v. cap. XXVI. cumprimis tamen *rotundas* amabant. Sive quod figuram circularem putarent absolutissimam, maximeque ad cæli perpetuam, omnia continentem conversionem aptissimam, ut vult Myrleanus apud Athenæum lib. I. sive quod in rotundis nemo convivarum altero superior appareret, quod putat Jo. Guil. Stuc-
19 kius Antiqu. Convival. lib. II. c. XVII. Itaq; quum præter morem in convivio Mæcenas poni jussisset mensam ἐγγώνιον, sive *angularem*, magnitudine forte ingentem, ac pretio nulla alia inferiorem, eaque mox laudibus à convivis exciperetur exquisitis; Jortius, quum nihil ex se posset depromere, quod esset singulare, silentio facto, ὁκεῖνο ἦ, inquit, οὐκ ἐννοεῖτε, ὦ φίλοι συμπόται, ὡς τροχγύλη ἐστὶν ἡ τράπεζα, καὶ ἄγαν περιφερὴς. *At istud*, inquit, *optimi convivæ, non animadvertitis, quod perfectus orbis sit mensæ istius, &* undique
20 *teres & rotunda.* Hæc Suidas. Sunt porro, qui *Alexin* quoque objiciant Mæcenati, quem in deliciis habuerit. Fuit is puerorum pulcherrimus, Virgilio etiam Poëtæ ada-
21 matus, & ex Eclega ejus secunda nemini non notus. Et quanquam Apuleius Apol. I. Servius, nonnullique Virgilii interpretes alii, Alexin Asinii Pollionis puerum fuisse malint: Mæcenati tamen tribuit Martialis lib. VII. Epist. XXIIX.

Et Mæcenati *Maro cum cantaret Alexin,*
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

& præsertim lib. IIX. ep. LVI. ubi Mæcenas ad Virgilium:

Accipe divitias, & vatum maximus esto:
Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames.

& subjungit Poëta de Alexi ipso:

Adstabat Domini mensis pulcherrimus ille;
Marmorea fundens nigra Falerna manu.
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum solicitare Iovem.

Immo

Immo tandem Alexin à Mæcenate Virgilio dono datum 22
innuit idem Martialis lib. v. ep. XXI.

Sed non hac veteres contenti lege fuerunt,
Quum minimum Vati munus Alexis erat.

Ex quibus porro liquet, male Virgilium & ejus carmen 23
intelligere, qui *Augustum* à Virgilio *Alexin* appellatum putant, inter quos iterum Servius; qui recte ideo refelluntur à Lud. de la Cerda, Comm. ad Eclog. II. Sed revertimur ad Mæcenatem. Eum adulterii etiam infamia aliquando 24
laborasse, sunt qui ex Plutarcho probare satagunt, & ex ejus Ἐρωτικῷ sequentem adducunt historiam. *Multi Veneris res communes invicem habuerunt; non amicas tantum sed & uxores prostituentes. Qualis Romanus ille Galba fuit, qui* Mæcenatem *convivio excipiens, quum adverteret jam ex nutibus hominem inflammatum in uxorem suam, sensim demisit caput, perinde ac si dormiret. At quum interea famulus ad mensam accedens, vinum clam tolleret, ibi jam vigil & oculatus: infelix, inquit, an nesciebas me soli* Mæcenati *dormire? Nec tamen admodum mirum hoc putari debet. homo enim ridiculus erat Galba.* Hæc Plutarchus. Huic vero 25
Galbæ, homini minime malo, quod obiter dico, tam similis fuit, quam lac lacti, leno-maritus ille apud Juvenalem Sat. I. qui pari modo somnum præsente mœcho simulabat.

--- doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.

Similis fuit *Cipius*, de quo ita Festus ex Lucillio, *Non omnibus dormio, proverbium à Cipio quodam, qui Pararhencon dictus est, qui simulabat dormientem, quo impunitius uxor mœcharetur.* Ubi tamen J. Gruterus Suspic. lib. IIX. cap. XX. 26
Cipii nomen (quamvis non neget Cipiorum familiam Romæ extitisse) fictum esse putat, & allusisse Festum ad *Genucium Cipum*, Prætorem Romanum, cui ad annum 27

V. C. Io xv. è capite subito cornua fuerant enata, ut apud Ovidium est Metam. lib. xv. fab. xlix. Plinium lib. xi. cap.
28 xxxvii. Val. Maximum lib. v. cap. vi. Itaque suspicatur, quod nunc hodie currucas illos, qui adulteras habent conjuges, *cornua in capitibus gestare* dicunt, & *cornutos* vulgo vocant; id olim quoque fieri consuevisse, talesque *Cipios*
29 dictos. Quod ut suspicari se tantum Gruterus ait, non pertendere: ita suspicionem ego illam valde firmari puto historia illa Andronici Comneni Imp. Constantinopolitani, quæ est apud Nicetam Choniaten, in descript. vitæ ejus lib. II. Is enim, ut luxu & libidine erat perditus, *cornua cervorum*, verba sunt Nicetæ, *quos venatus erat, insignia, & rari aliquid habentia, in porticibus fori suspendebat: specie quidem ostentandæ magnitudinis ferarum quas cepisset, quum revera civitatis mores, & uxorum, quas corrumpebat, lasciviam notaret.* Sed redimus ad vitia Mæcenati objecta.
30 Sunt, nescio qui, qui sequius etiam aliquid de ipso & *Iulia Augusti filia* fuere suspicati. Certe Lilius Gyraldus, vir eruditissimus, Histor. Poët. Dial. iv. ubi causas enumerat, ob quas Ovidium relegatum auctores conjectavere: *sunt etiam*, inquit, *qui de* Mæcenate *nihil non suspicentur, quem quod nunquam nominavit Ovidius, nescio quid de Iulia con-*
31 *fingunt.* Quibus omnibus demum accedit, quod ab adulterorum defensione Mæcenatem aliquando male audiisse Dion narrat lib. lv. *Quum Apuleius aliquando*, inquit, & Mæcenas *male audirent in judicio adulterii, non quod ipsi aliquid deliquissent, sed quod reo patroni essent ac defensores: venit in judicium Cæsar, quumque in tribunali prætoris consedisset, nihil quidem admisit gravius, accusatori tamen interdixit, ne amicis ac propinquis suis convitium faceret.* Hæc Dion, hæc cæteri de vitiis Mæcenatis.

CAPUT

CAPUT VICESIMUM-SECUNDUM.

SUMMARIA.

1. Mæcenatis criminatorum princeps Seneca. 2. Vitia aliorum ut carpenda. 3. Senecæ laus. 4. & vitia ex Dione. 5. Ausonio. 6. Tacito. 7. Senecæ confessio de se ipso. 8. Augustini de Seneca censura. 9. Mæcenatis vitia seculo imputanda. 10. Etiam discincti fortes esse possunt. 11. Mæcenas suo tantum tempore vitiis indulsit. 12. ut Alcibiades apud Plutarchum. 13. & Corn. Nepotem. 14. ut Scipio Africanus. 15. qui à Catone accusatus. 16. ipsa eum re factisque refellit. 17. Mæcenatis laus ex Velleio. 18. ejus æmulator Sallustius. 19. Mæcenas à Pedone excusatus. 20. exemplo Bacchi. 21. Herculis. 22. Iovis. 23. & Augusti. 24. Alex. ab Alexandro assertio de tesseræ militari Mæcenatis. 25. fides ejus in dubium vocata ab Ant. Vlmo. 26. Mæcenatis in histriones favor. 27. Histriones quando Romæ cœperint. 28. Augustus histrionibus consilio Mæcenatis indulgens. 29. Pyladis Augusto datum responsum. 30. Augusti intentio. 31. Mæcenatis Parasiti. 32. Mæcenatis vitia alia palliata. 33. Summorum virorum vitia, minus latent. 34. Suspicio de Iulia Aug. filia, rejecta.

VIdimus omnia fere aut præcipua saltem, *Mæcenati* ob- 1
jecta, & potissimum quidem à Seneca. Nam cæteri ab hoc, tanquam à fonte, rivulos quasi deduxisse videntur. Cogitasse tamen debebat Seneca Ciceronis illud lib. III. 2
Tuscul. quæst. cap. xxx. *Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.* Plinius Junior lib. IIX. epist. XII. ait Thraseam crebro dicere solitum; *Qui vitia odit, homines odit:* ac propterea *vitiis aliorum nos ita ignoscere* jubet, *tanquam qui ipsi quotidie peccemus.* Unde Horatius Serm. lib. I. Sat. III.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius;

quum *non ferendus sit objurgator, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur*, ut Cicero ait Verrina II. *Hoc* enim *tale* esset, quod Seneca ipse non negat lib. de

vita beata, cap. XXVII. *quale, si quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat, quem fœda scabies depascitur.* Nam quis, quæso fuit tandem Seneca, ut vel solius ejus 3 arbitrio, stilo & calculo Mæcenas stet cadatque? Philosophus quidem fuit, sententiarum ubertate in scriptis gravis, magnæ, ut apparet, prudentiæ: & in vitiis aliorum omnis generis notandis severus, & oculatior,

Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius:

quod testimonium etiam Quinctilianus ipsi perhibet lib. 4 x. cap. I. Verum annon idem ille Seneca is fuit, qui apud Dionem lib. XLI. dicitur *cum Agrippina Neronis matre consuevisse; in plerisque contra feciſſe, quam fuerit philosophatus; divitias culpasse, & tamen possedisse ter millies sestertium* (septem milliones auri cum semisse, si recte supputaveris) *luxum aliorum damnasse, & quingentos habuisse tripodas de ligno cedrino, pedibus eburneis & pares inter se, in quibus cœnarit; adsentatores detestatum, & reginas ac libertos coluisse, & eorum laudationes composuisse; tyrannidem improbasse, & tyrannum docuisse; discipulum demum Neronem incitasse, ut matrem de medio tolleret; multaque alia libidinose egisse:* de 5 quo Ausonius in Grat. act. cap. x. *non erudiisse indolem Neronis, sed armasse nequitiam:* quem Suillius apud Tacitum 6 Ann. lib. XIII. cap. XLII. ait *justissimum sub Claudio pertulisse exilium, domus Germanici adulterum, cubiculique Principum fœminarum corruptorem, inter quadriennium regiæ amicitiæ ter millies sestertium paravisse, Romæ testamenta & orbos velut indagine ejus capi consuevisse, Italia & provinciis* 7 *immenso fœnore hausis.* Immo, qui ipsemet fatetur lib. de vita beata, cap. XVII. sibique objicit, quod *cultius sibi rus sit, quam naturalis usus desideret, & nitidior supellex; uxor locupletis domus censum auribus gerat, pædagogium pretiosa veste succingatur:* quod *apud se ars sit ministrare, nec temere, & ut libet, collocetur argentum, & sit aliquis scindendi obsonii*

nii minister: quod *trans mare possideat*, & quidem *plura, quam noverit, pluresque habeat servos, quam quorum notitiæ memoria sufficiat.* Ne dicam nunc, quæ eidem Senecæ apud Tacitum Ann. lib. XIV. cap. LII. de ejus *opibus ingentibus, aucupio popularis auræ, hortorum amœnitate* (Juvenalis Sat. x. *magnos Senecæ prædivitis hortos* vocat) de *villarum* item *magnificentia, quasi Principem supergrederetur, deque adulatione in Neronem*, à Fenio Rufo, & Sofonio Tigellino objiciuntur. Quæ tamen non aliter fere ipse ibi diluit, quam quod *muneribus Neronis*, ut ait, *obniti non debuerit.* Ne dicam insuper, *conjurationis Pisonianæ in Neronem socium* fuisse, & *Imperii* (si Neronem primo per Pisonē, mox Pisonem ipsum occidi curasset) *per cædes futurum invasorem:* si eidem Tacitō credimus Ann. l. XIV. c. VII. lib. XV. c. LVI. & LXV. & Dioni lib. LXII. apud Xiphilinum. Videtur 8 nempe alius fuisse Seneca, alius videri voluisse; nec de nihilo esse, quod D. Augustinus, quanquam alia in re, de ipso scribit lib. VI. de Civ. Dei, cap. x. *Colebat, quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat; & quæ mendaciter agebat, sic agebat, ut eum populus veraciter agere existimaret.* Quæ tamen crimina, si quis ficta, falsoque Senecæ imputata asserere velit; quis veritatem iis præstabit, quæ de Mæcenate vel ipse Seneca præcipue, vel pauci alii in vulgus sparsere? Sit vero is Seneca, qui fategit videri. Nos, uti omnia ea, quæ Mæcenati objici diximus, negare 9 non possumus, multo minus probare: ita non tam animi tamen inclinatione peccasse credimus, quam seculi, in quo vixit, & Urbis vitio, *rebusque secundis* inductum, *quæ sapientum quoque animos fatigant*, ut Trebellius Pollio ait in Claudio. Interim idem ille, cui Seneca discinctum laxum- 10 que habitum tribuit, luxumque & voluptates nimias ascribit; animo nihilominus potuit esse forti & masculo. Si negaverit Seneca, se ipsum negabit. Ita enim Epist. XXXIII. de

discinctis loquitur: *Apud me Epicurus est etiam fortis, licet manuleatus sit. Fortitudo & industria, & ad bellum prompta mens, tam in Persas* (qui fluxa & soluta utebantur veste) *quam alte cinctos cadit.* Ideo sibi dictum putet, quod Pedo in Mæcenatis Epicedio ait:

Invide, quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?
Num minus Vrbis erat custos, & Cæsaris obses?
Num tibi non tutas fecit in Vrbe vias?
Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?

11 Deliciis nempe & voluptatibus suo tantum vacavit tempore Mæcenas, alioquin Reip. vigilantia sua utilissimus ac semper præsens, ut *Alcibiades* olim, aut *Scipio Africanus* sive
12 Major dictus. De Alcibiade Plutarchus auctor est in ejus vita; quod *maximis virtutibus*, ex altera parte *ingentem immiscuerit vitæ luxum, comessationes, amores, protervam, mollitiem vestium purpurearum, quas per forum trahebat, insolentem luxum, clypeum inauratum, in quo non Atheniensium consueta insignia, sed Cupido fulmen tenens, sculptus erat.* Verum ut idem Plutarchus addit, *largitiones, ludorum exhibitiones, munificentia in populum, dicendi vis, corporis decor, roburque cum militaris rei conjunctum peritia & virtute, efficiebant ut conniveret & ferret omnia populus Atheniensis, & peccata lenissimis vocabulis ludos appellaret & hu-*
13 *manitatē.* Similia de ipso habet Æmylius Probus, aut potius Corn. Nepos in vitis Excell. viror. *Quum tempus posceret,* inquit, *laboriosus, patiens, liberalis, splendidus, non minus in vita, quam victu: affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens. Idem, simul ac se remiserat, nec caussa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur: ut omnes mirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem, tamque diversam naturam.*

ram. Adde quæ de ipso habet Athenæus lib. XII. Ad eun- 14
dem vero modum & *Scipio* non in adolescentia tantum libere vixit, quod Nævii de ipso testantur versus apud Agellium lib. VI. cap. IIX. sed adultus quoque, quum in Sicilia augendo trajiciendoque exercitu oportunum quæreret gradum & Carthaginis ruinam animo volveret, inter consilia & molitiones hujus tantæ rei operam gymnasio dedit, pallioque & crepidis usus est, ut objectum ipsi scimus ex Livio lib. XXIX. Quemadmodum & M. Porcius Cato, 15
sive Major, in Senatu ipsum hoc nomine accusavit, effecitque ut Tribuni plebis mitterentur, qui, si ita rem habere comperissent, retraherent Romam. *At Scipio*, verba sunt 16
Plutarchi in Cat. Maj. *quum in belli apparatu ostendisset victoriam, not assentque Tribuni eum vivere per otium hilariter cum amicis, ac minime esse ob liberalitatem in seriis & gravibus rebus socordem, profectus est ad bellum &c.* Nec hac re segniores Punicis exercitibus intulit manus: sed nescio, an non ideo alacriores. Quia vegeta ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. Et non minus fuit Scipio, cum tantis vitiis, & audiit is, quem dicente Val. Maximo lib. VI. cap. IX. *DI immortales nasci voluerint, ut esset in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet.* Et talis profecto *Mæcenas* etiam no- 17
ster fuit: *nimiæ voluptatis*, ut de Licinio Muciano ait Tacitus Hist. lib. I. cap. X. *quum vacaret: quoties expedierat, magnæ virtutis.* Itaque diserte de ipso Velleius lib. II. quod fuerit *vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negocio remitti posset, otio ac deliciis pene ultra fœminam fluens.* Nec aliud 18
vult Tacitus Ann. lib. III. cap. XXX. ubi de Crispo Sallustio ait, quod *æmulatus* Mæcenatem *diversus* fuerit *à veterum instituto per cultum & munditias: copia & affluentia luxui propior.* Et subjungit: *Suberat tamen vigor animi, ingentibus*

bus negociis par; eo acrior, quo somnum & inertiam magis
19 *ostentabat.* Ad eundem vero modum Pedo etiam in Epicedio Mæcenatem excusat, ostenditque, & priscos olim ita vixisse, & post bella depugnata, hostesque victos, fortem strenuumque Imperatorem non dedecere, Liberi, Herculis, Jovisque exemplo, voluptatibus animum defatigatum relaxare. Adscribam ipsos Poëtæ aliquot versus:

Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum,
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo:
Quæ bene præcinctos, post modo pulsa, fugit.

Et mox:

Pax erat; hæc illos laxarunt otia cultus.
Omnia victores Marte sedente decent.

Atque iterum, per apostrophen ad Bacchum & Herculem:

20 *Bacche colorato postquam devicimus Indos,*
Potasti galea dulce levante merum.
Et tibi securo tunicæ fluxere solutæ:
Te puto purpureas tunc habuisse duas.
Sum memor, & certe memini, sic ducere thyrsos
Brachia purpurea candidiora nive.
Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus & auro:
Serpentes hederæ vix habuere locum.
Argentata tuos etiam sandalia talos
Vinxerunt certe; nec puto, Bacche, negas.
21 *Impiger Alcide, multo defuncte labore,*
Sic memorant curas te posuisse tuas.
Sic te cum tenera lætum lusisse puella,
Oblitum Nemeæ, jamque Erimanthe tui.
Vltra numquid erat? torsisti pollice fusos,
Lenisti morsu lævia fila parum.
Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes
Inter lanificas ducere sæpe suas.

&

& quæ sequuntur. Et fallor an huc oculum intenderit Seneca Tragicus, quando in Hippolyto de Hercule, post tot devicta monstra amori succumbente, ait:

Natus Alcmenâ posuit pharetram,
Et minax vasti spolium Leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura discincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu clavam modo quæ gereb at,
Fila deduxit properante fuso.

Et de Baccho, in Herc. fur. act. II.

Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrasse thyrsum, quum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbaricum gerit.
Post multa virtus opera laxari solet.

Tu Jovem ipsum adde Baccho & Herculi, τὸν ὕπατον κρείόν- 22
των, de quo à fulminibus quiescente Auctor Panegyr. ad Pison.

Ignea quin etiam superum pater arma recondit,
Et Ganymedeæ repetens convivia mensæ,
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.

Pedo vero Augusti etiam exemplo non minus Mæcenatem excusat & defendit: 23

Cæsar amicus erat, poterat vixisse solute,
Quum jam Cæsar idem, quod cupiebat, erat.
Indulsit; merito: non est temerarius ille.
Vicimus; Augusto judice dignus erat.

Quod si Alexandri ab Alexandro Genial. dier. lib. IV. cap. 24
II. ex quo repetit Jo. Glandorpius in Onomast. Rom. fides arbitranda, non latuit Mæcenatem ipsum discinctura suæ apud non paucos cavillatio: quam is tamen non tantum

insuper habuit, sed *discincti* quoque vocabulum aliquando pro tessera militari in castris, militibus dare non fuit veritus. *Fertur Antiochus*, inquit Alexander, *cognomento Soter, adversus Galatas ducturus, signum proposuisse*; Bene valere; & Mæcenatem, *quotiens in castris ducis fungebatur officio*, discincti *tesseram dedisse*. Verum ubi, & quando id fecerit Mæcenas, ego quidem juxta scio cum ignarissimis, nec vestigium rei in tota antiquitate. Ex Seneca quidem liquet, signum militare, non tamen in castris, sed in ipsa Urbe absente Cæsare à Mæcenate peti solitum: *discincti* vero signum, sive tesseram ab ipso datam non invenio. Ita enim Seneca Epist. CXIV. *Nam etiam, quum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum à discincto* (ita Mæcenatem
25 vocat) *petebatur*. Fides igitur hac in re sit penes Alexandrum, de quo non injuria, quanquam alia in re, M. Anton. Ulmus lib. de Barba hum. sect. III. cap. XXII. *Quis, amabo*, inquit, *credat Alexandro excisionem fœminarum ab ipso relatam? Nonne dixerit Lector prudens? Hæc Alexander noviſſe ex ſeſe tam antiqua non potuit; itaque ab alio. quur occultat, vel non recenſet auctorem à quo ſumpſit?* Hæc ille. Nos re-
26 vertimur unde digressi sumus. Inter ea, quæ præterea Mæcenati objecta diximus, erat impensior in histriones ac parasitos favor, & in puerorum amores atque adulteria animi quoddam prolubium. Quod histrionibus favit, id non secus atque alia, Augusti Populique totius exemplo fecit, atque ut Populi gratiam captaret. Novitas namque rei, & vulgi & principum virorum favorem auctoribus conciliaba-
27 bat. *Pantomimorum* enim *histrionumque saltationes* Augusti primum imperio, Pyladis & Bathylli opera introductas, auctores sunt Eusebius in Chron. Zosimus Hist. lib. I. & Zonaras Tomo I. & ab Augusto ipso saltationem pantomimorum primum inventam, adfirmare non dubitavit Suidas in ὄρχησις. Quæ tamen ut tolerari possint, utque intel-

intelligi debeant, latissime & doctissime, ut omnia, docet Salmasius Notis in Vopisc Carum & Carinum. Hoc certum est Augustum libentissime saltationibus interfuisse, sive *studio spectandi ac voluptate* (verba sunt Suetonii in ejus vita) *qua teneri se neque dissimulavit unquam, & sæpe ingenue professus est:* sive etiam in gratiam *vulgi*, quod alias *cupiens est voluptatum, & si Princeps eodem trahat, lætum*, ut Tacitus ait Ann. lib. XIV. cap. XIV. Et de utroque, Augusti nempe studio spectandi, & populo gratificandi, testis est idem Tacitus Ann. lib. I. cap. LIV. *Indulserat*, inquit, *ei ludicro Augustus, dum* Mæcenati *obtemperat, effuso in amorem Bathylli; neque ipse abhorrebat à talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi.* Nec tamen, si recte ju- 28
dico, spectandi tantum studio, aut in vulgi, aut Mæcenatis gratiam id fecit Augustus; sed forte Mæcenatis ipsius consilio, & in rem suam. Satis libere id notat Pylades, hi- 29
strionum alter, apud Dionem lib. LIV. Quum enim cum hoc rixaretur Bathyllus, ac populus inde concitaretur, Augustus vero in gratiam Mæcenatis occuparet Pyladem; respondit hic: Συμφέρῃ σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀσχολεῖσθαι. *Expedit tibi, Cæsar, populum nobis intentum tempus consumere.* Repetit historiam Xiphilinus in Epit. & Macrobius Saturn. lib. II. cap. VII. qui tamen pro Bathyllo *Hylan* nominat, quicum Pyladi jurgium fuerit. Hoc nempe satagebat Augustus, suasore Mæcenate, ut populum ludicris spectaculis inescatum sibi conciliaret: & sub leges quas volebat, & in obsequium traheret non reluctantem, & nec animadvertentem. *Parasitos Mæcenatis* tangere, 30
operæ precium non puto. Nemo ditiorum aut fuit olim, aut est hodie, qui non habeat, qui parasitentur, & ridiculos se faciant, ut ventrem saburrent. Τραπεζοκόρυς & *mensarum tonsores* ex Phocylide eos vocare possis. Et quid mirum homines habuisse parasitos, quum & DI olim suos

in templis habuerint. Adi ea de re Thom. Dempsterum
31 in Paralip. ad Rosini Antiqu. lib. v. cap. vi. De *puerorum* vero *amoribus*, aut *adulteriis*, si quid istarum rerum admisit Mæcenas, nihil plane excusamus. Scimus tamen, quam liberi harum rerum fuerint id temporis Romani, ad unum fere omnes, summates, infimi, medioxumi; quam facile flagitia admiserint & excusarint. Augustum Suetonius auctor est, *adulteria non tam libidine, quam ratione*, si DIs placet, *commisisse; ut facilius consilia adversariorum, per cujusque mulieres exquireret*. Locus est in Octav. cap. LXIX. Nos, quod ante diximus, quamquam summis Mæcenatis virtutibus magna immixta fuisse vitia, non negemus; tamen non continua ea fuere, & interventu meliorum pensata. *Quando* autem *mortalium nulli virtus perfecta contigit; qua major pars vitæ atque ingenii stetit, ea judicandum de homine est*, ut de Cicerone loquitur Seneca Rhetor suasoria VII. *Redimebat* Mæcenas, ut idem Seneca de Aterio ait lib. IV. Controvers. in procem. *vitia virtutibus; & plus habebat,*
32 *quod laudares, quam quod ignosceres*. Hoc interim commune cum aliis ipsi fuit, ut vitia ejus tanto conspectius in se crimen haberent, quanto major habebatur, qui peccabat. *Hoc enim habet primum*, inquit Plinius Panegyr. Traj. *magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum vero non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosque recessus recludit, omniaque arcana noscenda famæ proponit atque explicat*. Et Sallustius in bello Catilin. *Qui magno præditi imperio, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere: & in maxima fortuna minima licentia est*. Unde fit, ut *etiam minima vitia illustrium virorum ca-*
33 *lumniis impetantur*, ait Plutarchus ad Princ. indoct. De Julia tamen Augusti filia, quod afferebatur, suspicio tantum est, nullo antiquitatis testimonio firmanda. Nec sufficit rei probandæ adduxisse, quod Ovidius non meminerit

rit Mæcenatis. Fors alia enim fuerit caussa, ob quam mentionem ejus non fecerit; forte etiam minus eum novit. Idque nemo miretur. Nam nec Virgilium se novisse, Mæcenati familiarissimum, sed vidisse saltem, Ovidius ipse testis est Tristium lib. IV. eleg. X.

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.

Sed videamus porro de scriptis Mæcenatis & stilo.

CAPVT VICESIMVM-TERTIVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis in stilo mollities.* 2. *de ea Seneca.* 3. *Dialogi de claris oratoribus auctor incertus.* 4. *Mæcenatis calamistri.* 5. *& μυροβρεχεῖς cincinni.* 6. *Cacozeli, antiquarii.* 7. *Suetonius à Casaubono explicatus.* 8. *Κακοζηλία quid.* 9. *Augusti Epistolæ ad Mæcenatem fragmentum.* 10. *varie à variis lectum.* 11. *Stilus Mæcenatis à Pedone excusatus.* 12. *Stilus ac sermo populi, indicium Reip.* 13. *Scriptorum Mæcenatis fragmenta.* 14. *Fragmenta, ex libro de Cultu, corrupta.* 15. *quibus medicina à viris doctis.* 16. *Columbari.* 17. *περιστερὰ, osculi genus.* 18. *Colubrari.* 19. *καταγλώττισμα.* 20. *Laxa cervice ferri.* 21. *Fila Cereris.* 22. *Investare.* 23. *Mæcenatis Prometheus.* 24. *Ex eo fragmentum explicatum.*

MOllitiem in vestitu, incessu rebusque cæteris *Mæcenas* 1
paulatim admisit in Stilũ. Ea de re iterum inter primos 2
audiamus Senecam Epist. CXIV. *Quid ergo*, inquit, *non oratio ejus æque soluta est, quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni ingenii vir fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione diffluerет. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam & errantem, & licentiæ plenam.* Atque iterum. *Hoc istæ ambages compositionis, hoc verba transversa, hoc sensus, magni quidem sæpe, sed enervati dum exeunt, cuivis manifestum*

ſtum faciunt. Et Epiſt. IX. *Eſt ergo tanti ulla potentia, ut ſit tibi tàm ebrius ſermo? Ingenioſus vir ille fuit* (Mæcenas) *magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi illum* 3 *enervaſſet felicitas, immo caſtraſſet.* Tacitus quoque, vel ut alii volunt, Quinctilianus, ſeu potius Scriptor incertus, Dialogo de claris Orator. *calamiſtros Mæcenatis* carpit, 4 ubi ait: *Cæterum ſi, omiſſo optimo illo & perfectiſſimo genere eloquentiæ, eligenda ſit forma dicendi; malim mehercule C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem, quam Calamiſtros* Mæcenatis, *aut tinnitus Gallionis.* Quos autem cala- 5 miſtros vocat is Auctor, eos ab Auguſto *μυροβρεχεῖς cincinnos* appellari, & Mæcenatem exemplum *cacozeli*, ut Tiberium *antiquarii* fuiſſe, auctor eſt Suetonius Octav. cap. 6 LXIIX. ubi ita de Auguſto ſcribit: *Cacozelos & antiquarios, ut diverſo genere vitioſos, pari faſtidio ſprevit. Exagitabat nonnunquam inprimis* Mæcenatem *ſuum, cujus μυροβρεχεῖς ut ait, cincinnos uſquequaque perſequitur, & imitando per jocum irridet. Sed nec Tiberio parcit, & exoletas interdum* 7 *voces & reconditas aucupanti.* Marcellus quidem Donatus, vir cætera doctiſſimus & medicus excellens, Dilucidat. ad Suetonii iſtum locum, vocem *μυροβρεχεῖς* putat Mæcenatis eſſe, qui affectate ita vocarit *capillos unguento delibutos.* Nec diſſentit à Marcello Lævinus Torrentius Comm. ad Horat. Carm. lib. III. Oden XXIX. *Sed falluntur interpretes*, inquit Caſaubonus ad eundem Suetonii locum, *qui verba Suetonii ita accipiunt, quaſi in Oratione* Mæcenatis *vocem Græcam μυροβρεχεῖς reprehenderit. Nam contra ea voce ipſe Auguſtus more ſuo uſus eſt, ad exprimendum genus dicendi Mæcenatis. Arguunt enim, quotquot hodie ſuperſunt ſcriptorum ejus fragmenta, in quibus aliquod ſemper Græcum verbum inſertum reperias.* Hæc Caſaubonus. Fallitur verò & Raphaël Volaterranus, qui Comm. lib. XVII. ab Auguſto non cincinnos Mæcenatis *μυροβρεχεῖς*

χεῖς notatos, ſed Mæcenatem ipſum *μυροβρεχέα*, quaſi *unguento madidum*, vocatum ſcribit. Eſt autem *κακοζηλία*, 8 ſive *τὸ κακόζηλον*, ut Diomedes definit Gramm. lib. II. *per affectationem decoris corrupta ſententia, quo decoratur oratio, quo illam voluit auctor ornare, & fit vel nimio tumore, aut nimio cultu:* ſive, ut Quinctiliani verbis dicamus lib. IIX. cap. III. *mala affectatio, quæ per omne dicendi genus pectat: nam tumida & exilia, & prædulcia & abundantia, & exercita & exultantia, ſub idem nomen cadunt, quod ſpecie boni fallit, omnium in eloquentia vitiorum peſſimum.* Sed ad- 9 damus ſuperioribus Macrobium Saturn. lib. II. cap. IV. ubi ait: *Idem Auguſtus, quia* Mæcenatem *ſuum noverat eſſe ſtilo remiſſo, molli & diſſoluto, talem ſe in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, ſæpius exhibebat, & contra caſtigationem loquendi, quam alias ille ſcribendo ſervabat in epiſtola ad* Mæcenatem *familiari, plura in jocos effuſa ſubtexuit: Vale mel gentium, metuelle, ebur ex Etruria, laſer Aretinum, adamas Supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum ſmaragde, jaſpi Figulorum, berylle Porſenæ, carbunculum habeas, καὶ ἵνα σωτέμω πάντα, μάλαγμα mœcharum.* Verum ut hoc fragmentum 10 Auguſti nihil fere præter gemmas deliciaſque loquitur: ita tam miſere exceptum eſt, ut vix quidquam ſani in ſe habeat. Itaque valde in ipſo emendando elaboratum. Caſaubonus loco laudato, pro *effuſa*, legit *effuſus*, & pro *gentium, gemmeum*: Simo Boſius *mel Centinum & Veiens*, ſive Etruſcum. Veii enim & Centinum, Etruriæ fuere opida. Pro *metuelle*, idem Caſaubonus reponit *Meduliæ*, civitatis olim Latii, aut vicinæ Etruriæ nomen. Turnebus Adverſ. lib. XIIX. cap. I. legit *Vetuloniæ*, quæ itidem urbs fuit Etruriæ, cui faſcium & ſecurium originem adſcribit Silius Italicus lib. IIX. Jo. Iſaacius Pontanus ad Macrobium mavult legere, *mitenelle*: Janus Rutgerſius Var. Lect. lib. II. cap. XIII. *melcule.* Pro *laſere Aretino*, Lil. Gyraldus Hiſt. Poët.

Dial.

Dial. IV. ait legi, *Esar Aretinum*: Etrusca autem lingua, ut vult Dion lib. LVI. *Esar*, sive *AEsar*, significare *Deum*. quam lectionem etiam placuisse video Volaterrano, loco jam dicto. Sed potior prior lectio, & propius accedens ad mentem Augusti, qui homini delicato meras delicias, ad quas & *laser* ex cibis pertinere scimus, loqui voluit. In verbis ultimis Casaubonus legit; *Carbunculum Italiæ: καὶ ἵνα σωλείνω.* Simo Bosius licentius; *Carbunculum Tolumniis habeas: ἵνα σωτέμω.* Gyraldus rescribit: *Berylle Porsenæ, & Carbunculum Italiæ: Habeas, ἵνα σωλέμω, πάντα μαλάγματα mœcharum.* Sed addit: *Adhuc plane mihi hac in re satis nemo facit, nedum ego*
11 *mihi.* Arbitrabitur Lector. Cæterum Pedo Mæcenatis mollitiem in stilo, aut cacozeliam non minus agnoscit; excusare tamen nititur Bacchi exemplo: quasi is quoque, post depugnata bella, molliore ac delicatiore stilo in pacis deliciis luxuriare voluerit. Verba ejus sunt in apostrophe ad Bacchum:

Mollius es solito mecum tunc, Bacche, loquutus,
Et tibi consulto verba fuere nova.

At nos mollitiem illam minime excusamus, sed agnoscimus ex fragmentis *eloquentiam* cum Seneca *diffluentem, involutam, errantem,* & quam felicitas discinxerit, & ener-
12 varit, immo castrarit. Non tantum enim

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,

ut Poëta ait: sed & stilus & sermo, quem Solon olim εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων dixit, sive *imaginem factorum.* Unde Seneca Epist. CXIV. *Si disciplina civitatis laboravit, & se in delicias dedit, argumentum est luxuriæ publicæ, orationis lasci-*
13 *via.* Sit tamen mollis in stilo *Mæcenas*, sit κακόζηλος, facere nihilominus nequimus, quin ex scriptorum ejus tristi naufragio tabulas, quæ superant, colligamus: in quibus quædam tamen optime dicta nec invidia, credo, negare poterit. Primo autem exemplum Orationis Mæcenatis

πευ-

φώσας, sive ejusdem μυροβρεχείας & βοστρύχων, ut vocat Casaubonus, adponemus ex libro, quem Cultum inscripsit. Ex eo Seneca, Epist. jam adducta, particulas quasdam 14
selegit, in quibus novitatem vel affectationem præcipue eminere putavit: & in commatia, quum non cohærerent, distinxit Lipsius, & versiculos undecim syllabarum esse voluit, ut:

Amne silvisque ripa comantibus,
Vides, ut alveum lintribus arent,
Versoque vado remittant hortos.

Ubi Lipsius versu ultimo legit remi iciant: Jos. Scaliger 15
Notis ad Pedon. & Fern. Pincianus Castigat. ad Senecam, malunt, *remigent.* Voluit enim dicere, inquit Scaliger, quod Virgilius,

---- *virideque secat placido æquore silvas.*

Sed pergimus cum Seneca ad Mæcenatis reliqua:

Quid, si quis fœmina viros crispat, &
Labris columbatur? incipitque su-
spirans, & cervice laxa feratur
De more.

Gruterus Notis ad Senecam primam vocem, *quid,* putat esse Senecæ, ut subintelligatur, *turpius*, hoc modo: *Quid turpius? si quis &c.* Lilius Gyraldus loco paullo ante adducto, delet *cirros*, & reponit *cincinnos.* Scaliger & cum eo Gruterus, versum primum cum dimidio sequenti, ita legunt:

Quid? si quis fœminæ cirro crispatæ
Labris columbatur.

Est autem *columbari*, columbarum more oscula pangere. 16
quo sensu etiam Cn. Matius poëta vetus dixit:

Quapropter edulcare convenit vitam,
Sinuque amicam recipere frigidam caldo,
Columbatimque labra conserere labris.

17 Et περιστεράν apud Græcos esse εἶδος φιλήματος, notat Sca-
18 liger ex Suida. Lipsius tamen mavult legi *colubratur*: à colubris derivato vocabulo, qui arcte inter se cohærent, dum amori dant operam, ut de duplici eorum lingua etiam lu-
19 serit Plautus Asinar. act. III. sc. III. Osculi illud genus Aristophanes in Nub. act. I. sc. I. καταγλώττισμα vocavit. Casaubonus pro *suspirans*, scribit *respirans*, Comm. ad Pers. Sat. I. Versu tertio Erasmus in sua Senecæ editione legit:

——— *ut cervice laxa suaviantur.*

quod retinuit Gyraldus. Scaliger mavult,

---- *uti laxa cervice ferantur.*

20 Casaubonus vero τὸ *laxa cervice ferri*, ut apud Persium, *laxa cervice legere*, explicat de iis, qui molliter recitabant, etiam cervicem suo quodam modo inflectentes: more ac gestu delicatorum & τρυφητῶν. Lipsius pro *feratur*, substituit *fanatur*, quod explicat per furere, insanire, ut Bacchæ solebant. Subjungit idem, pro initio quarti versiculi, duas voculas: *De more*. Has alii versibus sequentibus præponunt; Scaliger plane omittit. Sed videamus reliqua Mæcenatis à Seneca prolata:

Tyranni irremediabilis factio,
Rimantur epulis, lagenaque tentant
Domos, & sæpe mortem exigunt.

Item:

Geniumque festo vix suo testem:
Tenuis cerei fila & crepacem molam.
Focum mater aut uxor investiunt.

Scaliger in prioribus tribus versibus sermonem esse autumat de domo quæ diriperetur; & addit: Τὸ *Tyranni irremediabilis*, Græcissare ex ambitione, ut sit τυράννου ἀνηκέστου. pro quo optimus Poëta dixisset, implacabilis, implacatus. *Rimari* autem *domos lagena* aut *epulis* in direptione, ait esse, quum omnia ἄνω κάτω ferunt aguntque: ut quicquid esculenti

lenti aut potulenti invenerint, diripiant. Illud vero, *mortem exigunt*, putat esse, quum etiam interficiunt, nec, ut alii, pecuniam exigunt. At Lipsio videntur describi satellites, aut ministri togatæ tyrannidis: qui in conviviis & poculis insidiantur, verba ibi liberiora captant, & exitium inde struunt. Versibus tribus posterioribus Scaliger tenuitatem familiæ describi censuit: Lipsius deparcum hominem, qui nec Genium Genii festo placet. Horum versuum secundo, *cerei tenuis fila*, Lipsius interpretatur, cereum vix ceratum, qui tenue lumen præbeat. Scaliger 21
legit

Tenuisque Cereris fila:

& intelligit farinam in molendino per fistulam manantem, quod tenuis ejus ductus sit, ut fili: quam interpretationem laudat & sequitur Gruterus. Magna autem hyperbole, inquit Scaliger, ut Genius à tam tenui familia absit in suo festo, sine quo festum esse non potest. Barthius Advers. lib. XXXV. cap. IX. pro *fila*, rescribit *pila*, & intellexisse videtur ὅλμους, seu vasa, in quibus aliquid contunditur. Ver- 22
su ultimo, *investire focum*, Scaliger explicat per fovere & calefacere: & ambitiose dictum putat à *Vesta*, meliusque legi *investant*, quam investiunt. Lipsius dictum mavult à *veste*, & significari, in avari illius ædibus ipso Genii festo exiguum focum, quē assiderent mater & uxor, ut demissæ vestibus se tegerent. Præter jam dictum Mæcenatis librum de Cultu, Seneca ejusdem citat Promethea, Epist. XIX. 23
Volo tibi hoc loco referre, inquit, *Mæcenatis dictum:* Vera in ipso eculeo docuit; ipsa enim altitudo attonat summa. *Si quæras in quo libro dixerit, in eo, qui* Prometheus *inscribitur. hoc voluit dicere, attonita habuit summa.* Hæc Seneca. At Lipsius Mæcenatis sententiam breviorem facit & le- 24
git: *Volo tibi hoc loco referre dictum Mæcenatis, vera in ipso eculeo docti:* Ipsa altitudo attonat summa. Illud autem, *in*

eculeo docti, ad verba Senecæ adhuc pertinere putat, & explicat, *in aula & dignitate, ubi assidua tormenta*: quemadmodum τὸ *attonare*, quod Mæcenatis est, vult esse *percutere*, & velut tonitru quatere.

CAPVT VICESIMVM-QVARTVM.

SVMMARIA.

1. Mæcenatis Octavia. 2. Gigeria. 3. Mæcenatis Carminum libri. 4. ex iis versus à Seneca laudatus. 5. & ex aliis auctoribus illustratus. 6. Epicuri scholam sapiens. 7. Mæcenatis versus ex libris incertis. 8. à Barthio emendati. 9. ex Varrone illustrati. 10. & Catullo item & Apuleio. 11. Mæcenatis versus Ithyphallici. 12. Varie lecti. 13. de cruce acuta in iis dubitatum. 14. Lipsii hæsitatio. 15. Georgii Calixti laus. 16. & de Cruce sententia. 17. Sedile in cruce, & unicornu. 18. Salmasius & Bartholinus Calixto ὁμόψηφοι. 19. Calixti sententiæ addita ratio. 20. à Bartholino contra Fontanum defensa. 21. Crux Mæcenati acuta quæ. 22. Mæcenatis versus à Seneca exagitati. 23. sed excusati. 24. Mæcenatis versus Phaleuci. 25. emendati. 26. Ninnius.

1 Præter *Cultum* Mæcenatis & *Tragœdiam Prometheum*, Priscianus lib. x. etiam Octaviam Tragœdiam inculcat, citatque ex ea versum:

Pexisti capillum naturæ muneribus gratum.

Sosipater vero Charisius lib. I. Mæcenatem citat ex *libro* x. quem *Carminum* fuisse conjicio. Verba Charisii sunt: *Catinus masculino genere dicitur: ut* Mæcenas *in* x.

Iugis ait fumans calido cum farre catinus:

& hinc diminutive catillus fit. Hæc Charisius. In eo versu
2 ἄντι τοῦ *Iugis ait*, alii legunt, *Iugeribus*: Barthius Advers. lib. III. cap. VII. rectius rescribere videtur *Gigeriis*: quæ ex Fe-
3 sto & Nonio ait esse, ex multis obsoniis decerpta. Ex his ipsis vero Carminum Mæcenatiorum libris forte & illud fuerit hemistichium, quod Diomedes Grammaticus habet lib. I. ---- *Nexi-*

---- *Nexisti retia lecta:*

pro nexuisti. qua formatione & Lucillius in Satyris dixit lib. V.

Et quum id mî visus facere est, tum retia nexit.

Item Propertius lib. III. El. IX. ut restituit ex Charisio Scaliger in Castigat.

At tibi qui nostro nexisti retia lecto.

Nec ad alios quam Carminum Mæcenatis libros referen- 4
dus est versus ille apud Senecam Epist. XCII.

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos. ----

Laudatur hic multum à veteribus, atque ipso Seneca, quamvis invito, & non nisi cum usitata sibi auctoris perstrictione. *Alte cinctum*, inquit, *putes dixisse*. Diversus quidem à Mæcenatis hac sententia est Vlysses apud Euripidem in Hecuba, ubi ita censet:

Καὶ μὴν ἐμοίγε ζῶντι μὲν καθ' ἡμέραν
Κ' εἰ σμικρ' ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι.
Τύμβον δὲ βουλοίμην ἂν ἀξιούμενον
Τὸν ἐμὸν ὁρᾶσθαι. διὰ μακροῦ γὰρ ἡ χάρις.

Mihi quidem vitam ducenti in hanc diem,
Pauper licet sim, facile cuncta suppetent:
Tumbam tamen sepulchri affectam honoribus
Vellem videri. hoc durat officium diu.

At Virgilio lib. II. Æn. in patroni Mæcenatis sententiam 5
eunti,

---- *facilis jactura sepulchri est.*

Cui consimilia etiam sentit Horatius Carm. lib. II. Ode ult. & facessere à funere jubet luctus honoresque nihil juvantes:

Absint inanes funere næniæ
Luctusque turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem: & sepulchri
Mitte supervacuos honores.

Quinpridem etiam Euripides Troadibus sub persona Hecubæ dixerat:

Δοκῶ δὲ τοῖς θανοῦσι διαφέρειν βραχύ,
Εἰ πλουσίον τις τεύξεται κτερισμάτων·
Κενὸν δὲ γαύρωμ' ἐστὶ τῶν ζώντων τόδε.

Parum interesse mortuorum existimo,
Si quis locupletes sortiatur inferias:
Hæc pompa saltem inanis est viventium.

Adde Lucanum lib. VII.

---- *Tabesne cadavera solvat,*
An rogus haut refert: placido natura receptat
Cuncta sinu.

& post paullo:

---- *Capit omnia tellus*
Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Cui accedat Petronius Satyrico: *At enim fluctibus obruto non contingit sepultura? Tanquam intersit periturum corpus quæ ratio consumat, ignis, an fluctus, an nemora. Quicquid feceris, omnia eodem ventura sunt.* Atque hanc quidem sententiam ex Epicuri schola deprompsit *Mæcenas*, cui non secus ac Virgilium, Horatium, Tibullum, Atticum illum Ciceronis, addictiorem fuisse, nullus dubito, & jam
7 ante asserui. Sequentes etiam Mæcenatis *versiculi Galliambici* ex libro incerto adferuntur.

Ades huc, ades Cybelle, Dea, montigena Dea,
Age tympano sonanti quate flexibile caput,
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.

Ubi tamen versu primo apud Diomedem Grammaticum lib. III. legitur:

---- *Ades Cybelle, fera montium Dea.*

8 Barthius Advers. lib. XVII. cap. III. pro *montigena*, legit *montirega*. Versu secundo in quibusdam libris est;

Ades & sonante tympano &c.

versu

versu autem ultimo pro *ululet*, quidam habent *valeat*. Sed minus recte. Lucem his versiculis, qui de Cybele sunt, 9
ejusque sacris & sacrorum ritibus, arcessimus à Varrone in Eumenid. cujus, sub persona Cybeles sacerdotum, ista sunt ad ipsam Cybelen, eodem prorsus carminis genere:

Tibi tympana haut inani sonitu Dea tonimus:
Sonitum æris intonamus nos tibi semiviri:
Teretem comam volantem tibi jacimus.

A Catullo item, Carmine de Berecinthia & Atti: 10

---- *simul ite, sequimini*
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygea ad nemora Deæ,
Vbi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi Phryx curvo grave calamo,
Vbi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.
Vbi sacra sancta acutis ululatibus agitant.

Et demum ab Apuleio lib. IIX. *Arrepto denique flagro* (sacerdotes Cybeles) *quod semiviris istis proprium est gestamen, contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sæse multimodis commulcant ictibus.* Tu vide Frid. Lindenbruchium Notis ad Catalecta veter. Poët. Sed nec eos præteribimus Mæ- 11
cenatis *versus Ithyphallicos*, quibus omnia sustinenda putavit dum vivamus. Adducit eos Seneca Epist. CI.

Debilem facito manu; debilem pede, coxa:
Tuber astrue gibberum; lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est. hanc mihi, vel acutam
Si das, sustineo crucem.

Verba ultima hic iterum laborant. Itaque Bern. Brissonius 12
lib. I. Formul. legit:

---- *Hanc mihi, vel acuta*
Si sedem cruce, sustine.

Jos. Scaliger Epist. lib. I. ep. XXXIII. rescribit:

Hanc

—— Hanc mihi, vel acuta
Subdas sustineo cruce.

Et *subdas*, ni fallor, ipsum Senecam legisse, ex istis ejus verbis liquere putem, quibus ait: *Suffigas licet, & acutam sessuro crucem subdes &c.* Aliter nihilominus Lipsius ex codicibus veteribus, ut ait in Comm. in Senecæ hunc locum, ac Taciti Ann. lib. XIV. & lib. I. de Cruce cap. VI. atque ante ipsum Fern. Pincianus ad Senecam legunt:

—— Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Aliter demum magnus Salmasius lib. III. de fœnore Trapezit. & Epist. I. de Cruce:

—— Hanc mihi, vel acuta
Substitem cruce, sustine.

Vel:

Subsidem cruce, sustine.

Quicquid sit; in sensu voti Mæcenatis non longe ab invi-
13 cem abeunt viri docti. At de *cruce* dubitant, quænam fuerit, quam ita signanter *acutam* dixit Mæcenas. Lipsius quidem *crucem acutam* locis adductis interpretatur eam, qua miseri homunciones stipite acuto transfiguntur, per os
14 emergente. Idem tamen mox in Notis ad lib. de Cruce, explicationis suæ imbecillitatem agnoscit, & certiorem quidem quærit, nec tamen ullam in qua acquiescat, inve-
15 nit. At Theologorum Germaniæ nostræ hodie princeps & sine pari, Georgius Calixtus, amicus, & olim collega noster non è multis, in Append. quæ ex ejus prælectionibus nuper accessit ad libros Lipsii de Cruce, *Mæcenatis crucem acutam* censet esse lignum in medio crucis, cui cruci affigendi insidebant. Primus quidem, quod sciam, ante hos annos quinquaginta Celsus Adornus, Theologus Novariensis in Epist. ad Joan. Talentonium, quam ipse Talentonius habet Rer. recondit. lib. II. cap. XXII. & XXIII.

ex

ex Irenæo & Justino Martyre nos docuit in medio crucis cujuscunque; etiam ejus, in qua Salvator noster pependit, fuisse lignum instar cornu eminens, in quo ferrentur quasi, & inveherentur cruci affigendi. Calixtus plenius hæc 16
nobis explicans, præter *stipitem arrectarium* ipsius crucis, & ejus *antennam*, cui manus infigerentur, ait fuisse in medio stipitis *palum* quendam, instar sedilis, *acutum*, cui suspendendus insideret, & velut inequitaret: quem *sedile*, & 17
sedilis excessum, etiam *unicornu* in crucis medio stipite vocarunt. Eam sententiam nuperrime prosequuti fuere, & 18
confirmarunt viri undiquaque doctissimi, Joan. Michaël Dilherus Notis ad Crucifixionem. Salmasius Epist. I. & II. de Cruce, & Thomas Bartholinus Dissert. de Christi latere aperto cap. VII. & IX. Probant autem omnes rem totam ex antiquissimis scriptoribus Justino, Irenæo, Tertulliano. Addit rationem Calixtus, ostenditque necessarium 19
fuisse ejusmodi in crucis medio stipite palum, cui crucis candidatus insideret, aut velut inequitaret, ad sustentandum patientis corpus, ac ne ruptis manuum pedumque tendinibus crucifixi, pronum corpus corrueret, quod sine tali sustentaculo fieri necessum erat. Admittunt rationem 20
hanc tum Salmasius, tum Bartholinus: ac licet infringere eam conatus fuerit Nicolaus Fontanus in Epist. ea de re ad Nihus. refellitur tamen satis superque à Salmasio & Bartholino. Fuit igitur olim in cruce sedile quoddam, atque ea quidem parte, qua insidebatur, acutum: ut & cruciaret, malamque sessionem faceret cruciario, & simul tamen sustentaculo ipsi esset, in quo durare & consistere posset, ne corpus collaberetur. Atque hoc sedile illud est, ob 21
quod *acutam* vocare *crucem* placuit Mæcenati, cuique insidere se vivum maluit, quam vita cassum ad plures concedere. Sed adi, si commodum est, amice Lector, auctores ipsos, discursusque ipsorum doctissimos. Nos revertimur 22

ad Senecam, qui prædictos Mæcenatis versus immane quantum exagitat, & *turpissimum votum, carminis effœminati turpitudinem, timoris dementissimi pactionem, fœdamque vitæ mendicationem appellat.* Non injuria quidem, nisi nimius esset, nec nescius, etiam hoc non ex Stoicorum, sed Epicuri schola esse, quam Mæcenas sectabatur, cujusque dogmata passim ipse Seneca tam magni facit, & multimodis collaudat. Est enim Epicuri illud apud Laërtium: Τὸν σοφὸν, κἂν πηρωθέντα τὰς ὄψεις, μεθέξειν τοῦ βίου. *Sapientem, etiam oculis cassum, mansurum in vita.* Immo *sapiens*, ut Cicero Tuscul. quæst. lib. II. & Lactantius lib. III. cap. XXVII. referunt, *semper beatus est, & vel inclusus Phalaridis tauro, hanc vocem emittet: suave est, nihil curo.* Et pravos esse homines, qui doloribus fracti, mortem optant, ait Agathon apud Aristotelem Ethic. Eudem. lib. III. cap. I.

Φαῦλοι βροτῶν γε τοῦ πονεῖν ἡδὺ μόνοι
Θανεῖν ἐρῶσι.
Homines mali doloribus fracti suis
Optant moriri.

Vide, quæ in eundem sensum ex Homero & Euripide addit Lipsius. Nos ad eos etiam *Mæcenatis versiculos* progredimur, qui apud Suetonium superant in vita Horatii. sunt autem generis *Phaleucii.*

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo; tu tuum sodalem
Mimo me videas strigosiorem.

Ubi in versu medio P. Nannius ex membranis Buslidianis, pro *tuum*, legit, *Titum.* Versus ultimus corruptior est: quem ut emendet idem Nannius, pro *Mimo me*, rescribit *Nimio.* P. Pithœus edidit, *Hinnulo.* At Lindenbrugius loco adducto mavult, *Ninnio.* Ex Hesychio autem, Suida & Glossario *ninnium* interpretatur *equum parvum*, sive pullum equinum; non inepta conjectura, aut sensu.

CAPVT

CAPVT VICESIMVM-QVINCTVM.

SVMMARIA.

1. Phaleuci Mæcenatis alii. 2. varie lecti à Turnebo. 3. Isaacio Pontano. 4. Duza patre. 5. Margarita neutro genere. 6. Emendatio phaleucorum ab Alciato. 7. Salmasio. 8. An in obitum Horatii fuerint scripti. 9. Mæcenatis Carminum deperditorum deploratio. 10. Servius Mæcenatem prosa scripsisse affirmat. 11. & ex Virgilio & Horatio probat. 12. sed minus apte nec sufficienter. 13. Idem certiori argumento adsertum ex Plinio. 14. Mæcenas de animalibus scripsisse conjicitur. 15. & inter ea de Delphino. 16. teste Plinio. 17. & Solino. 18. scripsit per Dialogos. 19. & de gemmis, ut videtur. 20. Fragmentum ex iis quæ prosa scripsit. 21. quod explicatur. 22. Carbilii Pictoris liber, Æneidomastix. 23. Mæcenatis Oratio apud Dionem.

VIdimus Mæcenatis scriptorum fragmenta potiora. At ne quid sit, quod omisisse videamur, *phaleucos* ejus alios aliquot adscribemus, quos Isidorus Orig. lib. XIX. cap. XXXII. nobis conservavit. De quibus tamen, ut ibi leguntur, æque ac de cæteris, vere dixeris, ᾠδὴν ὑγιὲς: adeo omnia sunt depravata. Adrianus Turnebus Adverss. lib. XX. cap. II. medicinam illis facere conatur, & legit: 1 2

Lugent, ô mea vita, te smaragdus,
Beryllus quoque, Flacce; nec nitentes,
Nuper candida margarita, quæras;
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Iaspios lapillos.

Ant. Covarruvias apud Andr. Schottum Obs. lib. II. cap. LX, in initio versuum legit, *Lugenti mea:* versu secundo, *Beryllos mihi mitte.* Jo. Isaacius Pontanus Notis ad Macrobii Saturn. lib. I. cap. XI. & in Omissis, abundare versu secundo putat voculam, *Flacce*, quum in principio jam scripserit, *mea vita*, & reponit: 3

Beryllus quoque & ipse &c.

Duza pater Præcid. ad Petr. l. 1. c. XIIX. & Notis ad Hor. legit:

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos,
Beryllos quoque, Flacce, nec nitentes,
Nec per candida margarita quæro.

Et addit, *margarita* multitudinis numero hic dici: idque etiam à P. Laberio in Mimo illo fieri apud Petronium:

Quo margarita cara, tribacca, Indica.

Nos vero exempla pluria obſervavimus, in quibus *Margarita* neutro genere efferuntur: ut apud Chariſium lib. 1. ex Valgio poëta, & Varrone lib. IIX. Epiſt. apud Ulpianum L. XVII. ſi gratuitam. §. 1. D. de præſumpt. & L. XI. D. de auro arg. leg. apud Tertullianum lib. II. ad uxor. cap. v. & lib. de Pallio, cap. v. Unde Caper Grammaticus lib. De verbis dubiis: *Margarita hæc, fœminino: & hæc pluraliter, neutro.* Sed extra oleas evagamur. Andr. Alciatus Parerg. Juris lib. IV. cap. XIIX. licentius priores duos emendat verſus:

Lucentes, mea vita, nec ſmaragdos,
Beryllos quoque nec mihi nitentes,
Nec præcandida margarita quæro.

Et verſu quarto legit *tynnica*, pro *Thynica:* aitque olim manus annulis, ungulis, *tynniis* ornari ſolitas. Quibus tamen verbis quid velit, mihi non liquet. Lectio recte habet: & *Thynica lima*, eſt *Bithynica*, ut docet Iſidorus loco dicto: diciturque eo modo, quo Prænestini apud Plautum act. III. ſc. II. *Coniam* pro *Ciconia*, & Medici veteres *oleum Spanum*, pro *Hiſpano*, & alia ejuſmodi dixerunt. Claudius Salmaſius Notis ad Fl. Vopiſci Aurelianum, verſu ſecundo vult ſcribi:

Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes.

Lævinus vero Torrentius Comm. in Horat. l. II. Ode XVII.

Beryllos neque, Flacce mi, nitentes.

Fuere autem, & ſunt viri docti, inter quos & Turnebus, & jam

jam dictus Torrentius, ut & Andr. Schottus Obſervat. human. lib. II. cap. LX. in ea opinione, verſus recenſitos à Mæcenate in obitum Horatii ſcriptos. At qui fieri hoc potuit? Certe Horatius diem ſuum obiit poſt Mæcenatem: qui de cliente & amico ſolicitus, in ultimo etiam agone D. Auguſto ſerio illum commendavit, ut liquidius patebit ex iis, quæ cap. ult. dicturi ſumus. Itaque propter alium aliquem in luctu fuiſſe Mæcenatem, eaque occaſione verſiculos iſtos, non de Horatio, ſed de quocumque alio ad Horatium, ſibi familiarem perſcripſiſſe, vero ſimile eſt. Atque hæc, ut dixi, fragmenta ſunt, & velut è naufragio tabulæ, ex iis quæ ligata oratione Mæcenatem ſcripſiſſe inveſtigare potuimus. De quibus, quid aliud dicemus, quam quod Barthius Adverſ. lib. XLIV. cap. XIX. tum de noſtro hoc, tum de auctoribus aliis, quos felix Auguſti ævum florentes vidit? *AEmylii Macri*, inquit, Mæcenatis, *Domitii Marſi, Auguſti ipſius, Varii, Valgii, Corn. Galli, Rabirii, Baſſi, & centum plus minus aliorum fragmina, & vix aliquando nomina ipſa contuens, ſine ulla ſpe recuperandorum operum; quis ſi non animi, ſaltem oculorum deliquium patiatur?* Verum Servius *Mæcenatem* pedeſtri inſuper ſermone *hiſtorias*, atque in iis *res geſtas Auguſti* ſtilo ſignaſſe adfirmat ad illud Virgilii lib. II. Georg.

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, & famæ merito pars maxima noſtræ,
Mæcenas, *pelagoque volans da vela patenti.*

atque ad alterum illud hemiſtichium:

---- *ades, & primi lege littoris oram.*

Eam vero adſertionem Horatii teſtimonio ex Carm. lib. II. Ode XII. ſtabilire ſatagit, ubi is ita ſcribit:

---- *Tuque pedeſtribus*
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris,
Mæcenas, *melius, ductaque per vias*
Regum colla minacium.

Ac si dixisset Virgilius, se cum Mæcenate una decurrere velle inceptum laborem & simul scribere: Mæcenatem vero scribere ingentia, historias nempe, & res gestas Augusti, & pelago dare vela patenti, & primi legere litoris oram: sibi vero carmen esse breve & tenue, quo tam su-
12 blimia prosequi non possit. Quanquam vero Servio ista ex Virgilio & Horatio in eum modum deducere, & utrumque sic interpretari libuerit; tamen valde infirma est illa deductio, & expers roboris. Neque enim Horatius affirmat, à Mæcenate descripta esse Cæsaris gesta: sed melius ea ab ipso posse describi, quam à sese, qui amoribus cantandis magis sit idoneus. A potuisse autem scribere, ut ita loquar, ad scripsisse, valere consequentiam, non puto concessuros Servio τὰς τ λογικῶν παῖδας. Certiori tamen
13 argumento *Mæcenatem de vita & factis Augusti commentatum* fuisse, ex Plinio astruere potuisset. Agit hic lib. VII. historiæ suæ de felicitate humana, docetque cap. XL. si verum facere judicium velimus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere; mortalium neminem esse felicem: &, ut cap. XLIV. ait: *nullam solidam esse felicitatem, quam ulla vitæ contumelia rumpat.* Eam vero sententiam, dum variantis fortunæ exemplis confirmat, magnos etiam vicissitudinis humanæ casus, qui felicitatem Augusti interpolarint, recenset cap. XLV. & in testimonium advocat Agrippam & *Mæcenatem*, qui id scriptis tradiderint. *In D. Augusto*, inquit, *quem universa mortalitas in hac* (felicium) *censura nuncupat, si diligenter æstimetur, quam magna sortis humanæ reperiuntur volumina? Repulsa in magisterio Equitum apud avunculum, & contra petitionem ejus prælatus Lepidus: ad præscriptionis invidiam Collegium in Triumviratu pessimorum civium, nec æqua saltem portione, sed prægravi Antonio: Philippensi prælio morbus, fuga, & triduo in palude ægroti, & ut fatentur* Mæcenas *& Agrippa, aqua subter cutem fusa*

fusa turgidi, latebra: prout totum hunc locum emendat Salmasius in exercit. Plin. ad Solin. cap. I. Quin alia etiam 14
Mæcenatem prosa oratione scriptis mandasse, & quidem, nisi omnia me fallunt, *de Animalibus*, ex eodem Plinio liquere putem: qui lib. Histor. qui Elenchus est auctorum, quos sequutus fuit; libere fatetur, se in librum IX. qui de animalibus aquaticis; & librum XXXII. qui de remediis ex iisdem agit; quædam ex *Mæcenate* transtulisse. Cui acce- 15
dit, quod tum Plinius, tum Solinus in historia de Delphino, qui D. Augusti imperio lacum Lucrinum intravit, *Mæcenatem* cum Fabiano conjungunt, quem itidem de Animalibus, aut etiam de caussis naturalibus scripsisse notat Charisius lib. II. Historia ex Plinii lib. IX. cap. IIX. hæc est. *Divo Augusto Principe*, inquit, *Delphinus prope Lucrinum* 16
lacum invectus, pauperis cujusdam puerum, ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantem, cum meridiano immorans, appellatum eum Simonis nomine, sæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mæcenatis, *& Fabiani & Flavii Alsii, multorumque esset literis mandata.* Plinium sequitur, ut solet, Solinus 17
cap. XII. sed ut plenius rem tradat: *Divo Augusto Principe in Campania Delphinem puer fragmentis panis primo illexit, & in tantum consuetudo valuit, ut alendum se etiam manu ipsius crederet. Mox quum prolusisset puerilis audacia, intra spatia cum Lucrini lacus vectitavit: unde effectum ut Bajano litore equitantem puerum Puteolos usque veheret. Hoc per annos plurimos tamdiu gestum, donec assiduo spectaculo desineret miraculum esse, quod gerebatur. Sed ubi obiit puer, sub oculis publicis, desiderio ejus & mœrore, Delphinus interiit. Pigeret hoc asseverare, ni* Mæcenatis *& Fabiani, multorumque præterea esset literis comprehensum.* Sed vide de Delphino isto etiam Agellium lib. VII. cap. IIX. ex Apionis Ægyptiac. 18
lib. V. Commentaria ista Charisius videtur *Dialogorum* nomine

mine citare; quod per Dialogos forte conscripti fuerint: *Mæcenatemque* æque, ut Plinius & Solinus, cum Fabiano conjungit. Verba ejus sunt, ubi de casu secundo, pluralis numeri, vocabuli *volucris* agit: Volucrium: *Cicero de finibus bonorum & malorum, nec non & Fabianus naturalium caussarum lib.* II. *&* III. Volucrum; *Mæcenas in Dialogo* II. *&*
19 *consuetudo.* Atque haud scio an in his iisdem libris, an alio quodam opere, *Mæcenas de Gemmis* etiam, quarum admodum curiosus fuit, quædam fuerit commentatus. Certe Plinius *de gemmis* etiam aliqua ex Mæcenate in librum XXXVII. se transcripsisse, in auctorum prædicto non diffi-
20 tetur Elencho. Fragmentum, sive verba potius quædam ex iis, quæ pedestri sermone conscripsit *Mæcenas*, superant apud Senecam lib. VI. de benef. cap. XXXVI. Quærit ibi Seneca, si quid promisisset cuipiam, quem deinde compererit indignum aut malum, an id dare debeat? Respondet autem ipse, si exiguum sit, quod promiserit, se daturum; non quia det digno; sed ut linguam redimat: si majus, minime; ne semper sibi sit detrimento, aut rubori futurum. Et in hanc sententiam citat Mæcenatem, qui dixerit: *Non committam, ut sestertio centies objurgandus sim:* hoc est, *tanto impendio, & rebus ipsis, non tantum verbis,* ut explicat ibi Lipsius. Quanquam enim objurgatio proprie
21 fiat verbis; tamen & ad facta transfertur. Ita Suetonius Caligula cap. XXI. dixit *ferulis objurgare:* & in Othone cap. XI. *flagris objurgari:* Petronius Satyr. & Seneca lib. II. de Ira. cap. XXVI. *objurgare colaphis:* quod eleganter etiam Mæcenas ad nummorum impendium transtulit. Citatum insuper vide *Mæcenatem* apud Senecam Rhetorem suasoria I. & II. item Controversia XII. & XXVII. Pseudo-Donatus vero, qui vitam Virgilii describere voluit, *Mæcenatem* sub Carbilii Pictoris nomine librum scripsisse asserit, titulo *AEneïdomastigis.* Ita enim infit: *Est & adversus AEneïda liber*

liber Carbilii Pictoris, titulo AEneïdomastix. M. Vipsanius eum à Mæcenate *suppositum appellabat novæ κακοζηλίας repertorem neque tumidum, neque exilem, sed communibus verbis opus illud confeciisse.* Verum quid de scriptoris istius indocti nugis statuendum sit, jam ante monuimus. Præ-23
ter demum omnia ista exstat *Mæcenatis Oratio ad D. Augustum,* apud Dionem lib. LII. qua consulit Cæsari, ut imperium retineat, nec Remp. reddat. Sed prolixior illa est, quam ut hic adscribere eam instituti nostri ratio patiatur, & rationes habemus, ob quas seorsim eam aliquando demus, & brevibus illustremus.

CAPUT VICESIMUM-SEXTUM.

SUMMARIA.

1. *Inventa Mæcenatis.* 2. *Literarum notæ.* 3. *Notarii, à Notis.* 4. *Notarum inventores primi.* 5. *de Mæcenate dubitatum à Lipsio.* 6. *de notis & Notariis qui scripserint.* 7. *Mæcenas Balneas calidas primus in Vrbe instituit.* 8. *Earum utilitas.* 9. *De Mæcenatis instituto illo dubitatum à Sylburgio.* 10. *qui dimittitur.* 11. *Mæcenas exquisitiores dapes excogitavit.* 12. *& in iis asinarum pullos.* 13. *Onagri in epularum olim deliciis.* 14. *Lalisiones.* 15. *Asinina caro medicis laudata.* 16. *& Serapidis responso commendata.* 17. *Lactis asinini usus.* 18. *Acipenseris piscis æstimium.* 19. *& Merlucciæ.* 20. *Vina Mæcenatiana.*

INventa quoque *Mæcenatis* quædam notarunt scriptores 1
veteres, sive primos rerum nonnullarum institutos usus. Ita *literarum* quasdam *Notas* ab ipso excogitatas, quarum 2
deinde usum *Acylius*, sive *Aquilius*, aut *Aquila*, libertus ejus aliis tradiderit, testis est Dion lib. LV. Καὶ πρῶτος Μαικήνας, inquit, σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτῷ Δίῳ Ακύλᾳ ἀπελευθέρῳ συγχνὰς ἐξεδίδαξε. *Primus* Mæcenas *ad celeritatem scribendi Notas quasdam literarum excogitavit: quam rem Aquilæ liberti ministerio mul-*

tos docuit. Tangit idem & Cedrenus in Hist. Notæ ejusmodi veteribus usitatissimæ, in id fuere inventæ, ut *Notarii*, qui ab his Notis nomen sortiebantur, & scripturi aderant in Senatu, celeriter omnia comprehenderent quæ dicebantur, paucioribus literis integras voces notantes, ut docet Probus Grammaticus lib. de Notis Roman. Isidorus tamen, non tam *Mæcenati*, quam soli ejus liberto *Aquilæ*, Notarum inventionem tribuit. Verba ex Orig.
4 lib. I. cap. XXI. Sunt ista: *Vulgares Notas Ennius primus mille & centum invenit.* mox addit: *Romæ primus Tullius Tiro, Ciceronis libertus, commentus est Notas, sed tantum Præpositionum. Post eum Tertius Persannius, Philargyrus & Aquila libertus Mæcenatis, alius alias addiderunt. Deinde Seneca, contracto omnium digestoque numero, opus effecit in*
5 *quinque millia.* Hæc Isidorus, in cujus verbis multa desiderat Lipsius Epist. Centur. I. ad Belgas ep. XXVII. Pro *Ennio* enim primò *Persannium* rescribit, quod de Ennio nusquam id lectum, & ipse mox Isidorus abnuat, dum primum *Tullium Tironem*, non Ennium Notas invenisse scribit. *Tertii* quoque nomen, tanquam quod in MSS. absit, delet, & *Philargyri* nomen omittit. Atque ita mentem Isidori putat esse, quod primus Persannius Notas vulgares invenerit, Tullius tamen ante eum primus Notas Præpositionum, mox reliquas Mæcenatis libertus addiderit Aquila. Mæcenatem vero ipsum hic nihil egisse, ex eo conjicit, quod Seneca Epist. XC. *Notas vilissimorum hominum commenta esse* scribat; Tironis puta, Persannii, Aquilæ. Ad Dionem vero dicit, mente ipsum sententiæ suæ non refragari, etsi penè verbis. Verum, ut cætera Lipsio concedamus, quomodo probabit Dionem mente sibi non adversari, qui tam diserte & signanter Mæcenati Notarum inventionem tribuit? Et quur tacet de *Seneca* (patrem intelligit) quem de Notis rem perfeciisse scribit Isido-

Isidorus? Etenim nec iste ex vilissimorum mancipiorum numero fuit; nec Mæcenati vitio verti potest, quod illi dedecori non fuit. Circumfertur autem etiam hodie *Tullii Tironis & Senecæ Notarum volumen*, superioribus annis à clarissimo Grutero evulgatum. Videatur de Notis 6
istis, post Isidorum, Probum & Paullum Diaconum, quos dixi, etiam Mangno, qui de Notis ad Regem Carolum, ut epigraphe testatur, perscripsit. Nos pergimus, & ex adducto Dionis loco *Mæcenati* etiam calidarum natationum institutionem adscribimus. Ita enim porro scribit. 7
Πρῶτός τε κολυμβήθραν θερμῆ ὕδατι ἐν τῇ πόλει κατεσκεύασε. *Primus quoque* Mæcenas *Romæ natatorium calidis aquis refertum instituit.* Dionem, ut solet, fere totidem verbis exscribit Xiphilinus in Epit. Κολυμβήθραι autem, quæ & Βαπτιστήρια Græcis dicebantur, Latinis *natatoria* & *piscinæ*, loca erant ad quæ, notante Festo, *& natatum & exercitationis caussa veniebat populus.* Et ab initio quidem aqua in iis erat frigida: ut vero calida esset, & calidè natari posset, primus, ut Dion hîc ait, instituit *Mæcenas.* Una 8
nempe opera & rei publicæ, & privatæ cujusque valetudini, prodesse noster voluit. Quantum enim natandi exercitium & peritia in re militari valeat, Vegetius nos docet lib. I. cap. X. & laudi ducitur Julio Cæsari, quod natandi peritissimus fuerit. Valetudini vero quid conferat natatio, imprimis calida, tum in ea restituenda, tum firmanda, si debito modo, & ex medici aut gymnastæ, ut olim fiebat, præscripto instituatur, passim docent & ostendunt medici veteres, Galenus, Aëtius, Oribasius, alii. Frid. Sylburgius tamen, vir Græcè doctissimus, institutio- 9
nem illam Mæcenatis natatorii calidi in dubium vocat, Indice in Hist. Rom. scriptores minor. in voce *Thermæ*: idque eam ob caussam, quod nihil ea de re apud Latinos auctores exstet: & suspicatur Dionem per imprudentiam

Mæcenatem nominasse, pro *Agrippa*. Hujus enim *vaporarium Laconicum*, sive *lavacrum* inculcat Ammianus libro XXIX. & Spartianus in Adriano. Victor lib. de Region. Vrbis *Agrippæ Thermas* vocat. Ipse etiam Dion lib. LII. lavacrum id ab Agrippa anno V. C. IↃCC XXIIX. conditum: & lib. LIV. populo à moriente legatum, ut gratis in
10 eo lavarentur, affirmat. Verum vix verisimile est, Dionem, qui præsertim tam recenter, & libris proxime præcedentibus *Balnei Agrippæ* meminisset; heic loci, ubi ex professo de *Mæcenate* agit, quæque in vita invenerit recenset, nec Agrippæ vel verbo meminit, tam imprudenter lapsum, suique ipsius fuisse oblitum. Et quur adeo Dionis auctoritatem censeamus elevandam, quasi res nullæ, quas ipse commemoret, veritatem obtinere
11 queant, nisi Latini simul scriptores easdem tradant? Sed mittimus hæc. Si Plinio credimus lib. IIX. cap. XLIII. etiam *dapes exquisitiores* excogitasse *Mæcenatem* comperimus; & inter alias *asinarum* quoque *pullos* epulari do-
12 cuisse. Sanè *Onagros* olim, sive *asinos silvestres* in deliciis fuisse, in confesso est. Eaque de caussa Theophylactus Simocata lib. IV. cap. VII. in τρυφῇ mensæ regiæ apud
13 Persas, & inter delicatissimos cibos, quos ait, γαστριζομένοις τοράννοις δορυφορεῖσθαι εἰς τραπέσης πανήγυριν, *regibus abdomini inservientibus ad mensæ celebritatem ministrari*; enumerat ὄνων ἀγρίων μελῶν τὰ ἐπίσημα, sive *asinorum agrestium partes maxime insignes*. Immo & adhuc hodie onagros pro delicato ac regum cibo Persas habere, Regemque ipsum in eum usum magnam illorum copiam alere, testis est Adamus Olearius Itiner. Pers. part. II. Onagris autem hisce, ut vult Plinius, substituit & epulari docuit Mæcenas asinarum pullos: in quorum tamen locum mox ab ejus obitu
14 onagrorum pulli (quos *lalisiones* vocatos, quamdiu matris tantum lacte alebantur, notum est ex Martialis lib.

lib. XIII. epigr. XCVII.) recepti fuerint. Sed Plinii potius adscribo verba ex emendatione Salmasii in Exerc. Plin. ad Solin. cap. XXVII. *Pullos asinarum*, inquit, *primus* Mæcenas *epulari instituit, multum eo tempore prælatos onagris: post eum interiit auctoritas sapori: lalisionum oriente usu, celerrime id genus defecit*. Simile quid de *Antonio Pratense*, Galliæ Cancellario refert Joh. Bruyerinus lib. XXIII. de re cibaria cap. XX. *AEtate nostra*, inquit, *Antonius Pratensis, Galliæ Cancellarius, imitator exstitit Mæcenatis in eo genere escæ* (carnis nempe asininæ) *quàm avidissimus; verum & cum ipso gratia quoque illius carnis sepulta est*. Vtrum vero saporis aut gulæ gratia tantum carnes eas in usum vocaverit Mæcenas, aut occultiori aliqua ex caussa, ego sane ambigo. Communiter quidem asinina carne Alexandri- 15
nos vesci solitos, auctor est Galenus lib. I. de alim. facult. cap. II. & cervinæ carni ait asininorum bene habitorum ac juvenum carnem esse propinquam; & laudari à medicis quibusdam affirmat ibidem lib. III. cap. II. & lib. de attenuante vict. rat. cap. IX. In usum vero medicum asinorum, præcipue pullorum, carnem venire tradit Hippocrates lib. I. de vict. rat. cap. II. & phthisicis salutarem esse notat Plinius lib. XXIIX. cap. XVII. & Q. Serenus cap. XIX. Vnde & *Bathylin Cretensem*, ex tabe periclitan- 16
tem, consilio aut responso potius Serapidis, asininæ carnis esu convaluisse, Æliano credimus lib. XI. de Animal. cap. XXXV. Ne quid de *lacte asinarum* dicam, cui quan- 17
tum in phthisi, morbisque aliis tribuerint jam olim medici, etiam illi in medicina sciunt, qui vix dum ære lavantur. Qualia quidem *Mæcenas*, homo doctus, à medicorum quoque filiis, aut ipso Palatii medico, Antonio Musa, facile potuit discere, atque ita forte sanitatis caussa carnibus istis uti. Potuit vero & gulæ tantum aut peculiaris sibi appetitus gratia cibo isto vesci cœpisse familiarius:

 quem

quem deinde ob ipsius auctoritatem alii, quasi assentatione quadam, cariorem & in pretio habuere, donec ab obitu Mæcenatis rursum vilescceret, quod usu venire in
18 ejusmodi rebus fere solet. Sic *acipenserem* Plinius refert lib. IX. cap. XVII. nullo in honore fuisse suo, id est, Trajani tempore: quem tamen Serenus Sammonicus apud Macrobium Saturn. lib. III. cap. XVI. docet, tum apud antiquos fuisse in pretio, tum post Plinium suo ævo gratiam ejus ad epulas quasi postliminio rediisse. Sic Horatius *rhombum* & *ciconiam* nullo in cibis usu fuisse scribit, antequam id docuisset vir prætorius, sive is fuerit, dubitantibus Acrone & Porphyrione, Asellius, sive Rufus, aut Sempronius. Et addit, *mergos*, vile alias cibi genus, si quis assos dixerit futuros suaves, juventutem Romanam pravi docilem id facile crediturum. Versus sunt Serm. lib. II. Sat. II.

Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit prætorius. ergo
Si quis nunc mergos suaveis edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana juventus.

19 Nec dissimile quid contigit superiori seculo Romæ. De *Hadriano* VI. enim Pontif. Max. narrat Paullus Jovius lib. de Piscib. Rom. cap. I. quod Pontifex fuerit, ut in administranda Rep. hebetis ingenii, ita in esculentis insulsissimi saporis, ac *Merlucciam*, piscem plebeium, ac vilis pretii, tanti fecerit, ut omnibus aliis anteferret: & factum nihilominus, addit, ut Pontificis judicium æstimantibus aliis, piscis vilis ille magni fieret, magnoque pretio divenderetur, ridente toto foro piscario. Relinquo tamen ea, quæ
20 de Mæcenatis intentione dixi, in medio. Id saltem addo, reperiri, qui *vina Mæcenatiana*, inter generosiora Italiæ celebrata, quorum meminit Plinius lib. XXIV. cap. VI. nomen etiam famamque *Mæcenati* debere existiment.

At

At falluntur. *Mæcenatiana* enim illa *vina*, non à *Mæcenate* denominationem traxisse; sed locum sive opidum quoddam, *Mæcenæ* forte dictum olim, & *Mæcenati* cognomen, & *vinis Mæcenatianis* caussam nominis dedisse, statim ab initio hujus tractationis pluribus monuimus.

CAPVT VICESIMVM-SEPTIMVM.

SVMMARIA.

1. *Vxor Mæcenatis, Terentia.* 2. *Terentiæ frater, Murena.* 3. *& Proculeius.* 4. *cujus liberalitas in fratres laudata.* 5. *frater tertius, Scipio.* 6. *Opinio de hoc Glandorpii.* 7. *quæ exauditur.* 8. *Terentiæ pulchritudo.* 9. *Lycymnia Horatii.* 10. *Terentiæ cum Livia Aug. de forma contentio.* 11. *ejus morositas.* 12. *cum marito divortia crebra.* 13. *mentio ejus apud Iavolenum.* 14. *mendum ibi in textu.* 15. *Status quæstionis litigii inter Terentiam & Mæcenatem.* 16. *responsum super eo Trebatii.* 17. *Terentia sumptuosa.* 18. *Terentilla.* 19. *vocabulum* ὠνυχοδιστικὸν. 20. *Terentiæ & Augusti amores.* 21. *Mæcenatis zelotypia.* 22. *conjugium sterile.* 23. *Iul. Pomp. Sabini opinio.* 24. *quæ refellitur.*

VXorem *Mæcenas* habuit *Terentiam*, sororem *C. Proculeii*, *Scipionis* & *Licinii Murenæ*, si Acroni & Porphyrioni credimus Comm. ad Horatii lib. I. carm. Oden II. 1
Et *Murena* quidem is fuit, qui cum Fannio Cæpione atque 2
aliis in Augusti necem conspirasse creditus fuit, atque ideo in supplicium tractus, qua de re jam ante plenius egimus. *C. Proculeius*, eques Romanus, Augusto familia- 3
ris, summæque apud ipsum auctoritatis, Horatio à liberalitate in fratres laudatur. Versus loco adducto sunt isti:

Vivet extento Proculeius ævo,
Notus in fratres animi paterni;
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

Vbi

4 Vbi Acro & Porphyrio aiunt, *Proculeium* cum fratribus, bello civili spoliatis, patrimonium, quod sibi competebat, atque ex partitione jam acceperat, ex integro divisisse. Hic mortem sibi tandem conscivit, epoto gypso, in maximo stomachi dolore, quod Plinius notavit lib. XXXVI. 5 cap. XXIV. *Scipionis*, tertii Terentiæ fratris, si Acronem & Porphyrionem excipias, nulla usquam alibi in historia 6 Romana exstat memoria. Joh. Glandorpius quidem, in Onomast. Rom. ubi de Licinio Murena agit, *Cæpionem* vocat, quem Acro & Porphyrio Scipionem dixere. Per quem si *Fannium Cæpionem* intelligit, conjurationis Mure- 7 næ socium, opido falli videtur. Dion enim lib. LIV. ubi de conspiratione illa, deque Murena agit, *nec Mæcenatem*, ait, *Murenæ sororis maritum, nec Proculeium Murenæ fratrem, Augusti familiares, tantum potuisse, ut alteruter vel fratrem vel affinem pœnæ subtraherent.* Quod si Fannius Cæpio Murenæ itidem ac Proculeii fuisset frater, & Mæcenatis affinis; de solo Murena non scripsisset, quod ad utrumque & Murenam & Cæpionem pertinere potuerat. Quur enim unum saltem, vel fratrem, vel affinem; non utrumque simul, si licuisset, tum Mæcenas, tum Pro- 8 culeius, salvum cupivissent. Fuit autem *Terentia*, mulier formosissima quidem, sed morosa, elata & sumptuosa. De pulchritudine ejus Acro, interpretesque nonnulli alii, Horatium meminisse volunt, ac si is Ode XII. lib. II. in persona *Lycymniæ*, sive *Licinniæ*, ut alii legunt, *Terentiæ* laudet

——— *lucidum*
Fulgentes oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus.

Neque de alia, quam *Terentia* intelligit idem Acro & Porphyrio versus illos Epodon Ode XIV. quibus nec Helenam Mæcenatis uxore pulchriorem fuisse, à Poëta adseri volunt. Ita autem hic ad Mæcenatem:

Vreris

Vreris ipse miser: quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua.

Et posteriores quidem versus ad *Terentiam* pertinere, non admodum repugnaverim: de prioribus diversum censeo. Neque enim, si pressius eos inspicias, matronam illi laudant, sed amicam, lascivis amoribus deditam. Nec nomen ipsum convenit *Lycymniæ*, quod servile id temporis fuit, atque ut nobili fœminæ aptaretur inconveniens. Dion lib. LIV. Cæsari Dictatori libertum fuisse *Lycymnium* scribit, qui deinde sub Augusto Gallias spoliarit. Poëtarum princeps Æn. lib. IX. meminit *Lycymniæ servæ.* Sed mittimus hæc. Terentia ipsa, pulchritudinis suæ sibi 10 conscia, cum Livia, Augusti uxore, de forma aliquando certare non verita fuit. Unde nec immerito inter fœminas, à pulchritudine antiquitati celebratas, *Terentiam* connumeravit Petrus Laurembergius in Pasicompsa, c. XXXII. num V. Ob morositatem vero Mæcenas sæpe levibus fe- 11 briculis cum ipsa litigavit, & subinde eam repudiavit: quia 12 tamen abjectæ desiderium ferre non poterat, ex intervallo semper eam domum reduxit. Inde est, quod Seneca lib. de provid. cap. III. de Mæcenate ait, *illum amoribus anxium morosæ uxoris quotidiana repudia defleviisse:* atque iterum Epist. CXIV. *millies uxorem duxisse, quum unam habuerit.* Neque dubium apud me quidem est, hanc Terentiam 13 illam esse, de qua ex Labeone loquitur Javolenus L. LXIV. Vir mulieri. D. de donat. inter vir. & ux. *Vir mulieri*, inquit, *iccirco quædam dederat, ut ad se reverteretur. mulier reversa est, deinde divortium fecerat. Trebatius inter* Terentiam & Dæcenatem *respondit: si verum divortium fuisset, ratam esse donationem: si simulatum, contra.* Ubi ex *Mæce-* 14 *nate* factus est *Dæcenas*, facili describentium errore & mutatione unius literæ: quod alios etiam notasse video. Quæ- 15

stionis autem status, ut hoc etiam delibemus, in Lege ista
15 hic esse videtur. Terentia divortium fecerat à Mæcenate;
Mæcenas munera quædam ipsi dederat, ut reverteretur:
reversa divortium denuo fecit. Quæsitum ibi fuit de mu-
neribus, & cujus esset facta illa donatio; an Mæcenatis ma-
16 riti, an uxoris Terentiæ. *Iavolenus* (sive, ut Salmasius apud
Capitolinum legit, *Iabolenus*, hoc est, *Zabolenus*, pro *Dia-
boleno*) qui sub D. Hadriano & Antonino Pio floruit, litem
decisurus, ex Q. Antistio Labeone, P. Antistii Labeonis
patre, refert C. Trebatium Testam, Poëtam celebrem &
Mæcenatis ævo magnæ auctoritatis JC^tum^ responsum de-
disse: munera esse uxoris, si verum divortium fuisset, & mu-
lier diu divortisset: sin simulatum, contra. Est autem *ve-
rum divortium*, ut docet Paullus in L. III. D. eod. *quod fit
animo perpetuam dissensionem constituendi:* quodque *non* fit
*calore iracundiæ, sed ubi perseverantia ostendit judicium ani-
mi fuisse.* Confer Guidum Pancirollum Var. Lect. lib. II.
17 cap. LV. Sed revertimur ad Terentiam. Eam *sumptuosam*
insuper fuisse, Seneca prodit, quando loco superius addu-
cto scribit: *Quid ergo? annon oratio ejus* (Mæcenatis) *æque
soluta est, quam ipse discinctus? non tam insignita illius ver-
18 ba sunt, quam cultus, quam domus, quam uxor?* Sunt vero,
qui Terentiam eandem putent cum *Terentilla*, cujus M.
Antonius meminit in Epist. ad Augustum, de qua fragmen-
tum superat apud Suetonium Octav. cap. LXVII. *Quid te
mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est. Nunc cœpi, an ab-
hinc annos novem? Tu deinde solam Drusillam inis? Ita va-
leas, ut tu hanc epistolam quum leges, non inieris Tertullam,
aut* Terentillam, *aut Rufillam, aut Salviam Titisceniam, aut
19 omnes. Anne refert ubi, & in quam arrigas?* Est nempe *Te-
rentilla* ὑποκοριστικὸν à *Terentia*, ut *Tertulla* à *Tertia*, & *Ru-
filla* à *Rufa*, notante Casaubono ad Suetonii hunc locum.
20 De eo autem, cujus *Terentillam* insimulat Antonius, ut de

Terentia

Terentia aliquid credam, Dion facit lib. LIV. ubi in Augusti
peregrinationis in Gallias caussam inquirit: qua de re etiam
cap. XVI. meminimus. Adscribo ipsa ejus verba: *Fuerunt,
qui propter* Terentiam, Mæcenatis *uxorem, Augustum disce-
dere suspicarentur: ut, quoniam multi Romæ de ipsorum amo-
re sermones per vulgus darentur, in peregrinatione sua, citra
omnem rumorem ejus rei, cum ea vivere posset. Eam enim ita
effictim amabat.* Repetit eadem Xiphilinus in Epit. Atque 21
hanc ipsam ob caussam, apud eundem Dionem lib. LV. &
Xiphilinum, *Mæcenas* aliquid sinistri forte subodorans, di-
citur adversus Augustum ὀπὶ τῇ γυναικὶ δυσκολαίνων· *ob uxo-
rem indignatus.* Fuit tamen, quantum ex antiquitate sci- 22
mus, conjugium Mæcenatis sterile, & exstincta est in ipso
Regum Etruriæ prosapia. Jul. Pomponius Sabinus qui- 23
dem, Notis ad Pedonem, Mæcenati filium fuisse, sed im-
matura morte sublatum, exprimis Pedonis his versibus
ostendere conatur:

Defleram juvenis tristi modo carmine fata;
Sunt etiam merito carmina danda seni.
Vt juvenis deflendus erat tam candidus, & tam
Longius annoso vivere dignus avo.

At mera hæc conjectura est; quum & alium juvenem, 24
quam Mæcenatis filium luxisse potuerit Pedo, ante quam
ipsum defleret Mæcenatem. Nec desunt, quibus juvenis
is *Drusus* est *Germanicus*, de cujus morte idem Pedo ad
Liviam Augustam perscripsit. Jos. Scaliger tamen Comm.
ad Append. Virgil. intelligit *Marcellum, Octaviæ filium*, au-
gustæ exspectationis juvenem, de quo præter alios vide
Virgilium lib. VI. Æn.

CAPVT VICESIMVM-OCTAVVM.

SVMMARIA.

1. *Mæcenatis domus.* 2. *Augustus ager in ea decumbens.* 3. *Mira veterum consuetudo.* 4. *Meminit domus Mæcenatis Horatius.* 5. *de ejus luxu, Seneca.* 6. *qui obiter notatur.* 7. *Mæcenatis horti.* 8. *Vrbi vicini.* 9. *in Esquiliis.* 10. *Eorum meminit Suetonius.* 11. *& Horatius.* 12. *in iis Mæcenas literis operam dedit.* 13. *eosque ab Augusto habuit.* 14. *quum antea ibi essent puticulæ.* 15. *Horatius hortos novos vocat.* 16. *Propertius agros novos.* 17. *In iisdem sacellum Priapi.* 18. *Priapeiorum Auctores.* 19. *Tiberii secessio in hortos Mæcenatis.* 20. *Mos nobilium adolescentum Romæ.* 21. *In hortis Mæcenatis turris altissima.* 22. *moles nubibus propinqua Horatio.* 23. *Mæcenatis domus alta.* 24. *Turris Mæcenatica Suetonio.* 25. *Ab ea Nero incendium Vrbis spectavit.* 26. *quod tamen dubium facit Tacitus.* 27. *Turris Mæcenatis & domus an eadem.* 28. *ejus rudera.* 29. *marmora antiqua.*

1 ÆDium sive *domus Mæcenatis* mentio est apud Suetonium, qui Augustum aliquando ægrum in ea cubasse
2 scribit. Octav. cap. LXXII. *Si quid secreto*, inquit, *aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τετρώφυον appellabat. huc transibat, aut in alicujus libertorum suburbanum. AEger autem in* domo
3 Mæcenatis *cubabat*. Mira veterum consuetudine, ut docet Casaubonus ad Sueton. Octav. cap. XX. qua ad amicos
4 solebant secedere, ut ibi convalescerent. Meminit domus ejus Horatius & *altam* vocat Epodon Ode IX.

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta, *sic Iovi gratum,* domo,
Beate Mæcenas, *bibam.*

5 Notat luxum domus ejusdem, & supellectilis in ea, Seneca Epist. CXIV. quam fere totam Mæcenati criminando conscripsit. Ubi *luxuriam*, inquit, *late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit, deinde supellectili laboratur.*

boratur. deinde in ipsas domus impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor, &c. Hæc autem de luxu do- 6
mus Mæcenatianæ ille, quem paullo ante ex Dione audivimus quingentos habuisse tripodas ex ligno cedrino, pedibus eburneis, & pares inter se in domo sua, in quibus cœnaret. Cæterum domui contiguos, ut puto, *Mæcenas* 7
habuit *hortos*. Eos nominat Philo lib. de Legat. ad Cajum Cæs. & *Vrbi vicinos* fuisse indicat. Publio Victori lib. de 8
Reg. Vrb. collocantur in Vrbis regione quincta, in qua & *Esquiliæ* fuere cum turri & colle Viminali. Barthol. Mar- 9
lianus Topogr. Vrb. Rom. lib. V. cap. XII. collocat apud Thermas Diocletiani, secundum eam viam, quæ nunc ab ipsis est ad D. Antonii ædem, loco Esquiliarum editissimo: Jacobus Laurus in Splendore Vrbis Rom. antiqu. ad Collem Esquilinum, intra Vrbis muros, & ipsum collem. Meminit eorundem Suetonius in Tiberio cap. XV. & 10
Mæcenatianos vocat. Ad eosdem Acron Horatium respe- 11
xisse putat lib. II. Sat. III. ubi fingit, se à Damasippo Stoico stultitiæ insimulari, quod homo parvus *longos* imitetur, hoc est magnos, atque ædificet ut Mæcenas; Damasippumque ita loquentem introducit:

An quodcunque facit Mæcenas, *te quoque verum est,*
Tanto dissimilem, & tanto certare minorem.

In iisdem etiam hortis Mæcenatem literis dedisse ope- 12
ram, notat Pedo:

Pierides, Phœbumque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aves.

Habuit autem hortos istos Mæcenas ex procuratione 13
D. Augusti. Quum enim in Esquiliis *puticulæ* essent, sive *puticuli*, hoc est, putei, ut Varro notat lib. IV. de L.L. & Fe- 14
stus; in quibus tum promiscuæ plebis, tum eorum quo-

que, qui post cuncta devorata patrimonia ad egestatem devenerant, projiciebantur cadavera, ut putiscerent; atque eorum vicinitas Vrbi esset noxia & insalubris; Augustus, qui aërem emendari cupiebat, S. P. Q. R. consensu
15 locum Mæcenati concessit, ut hortos ibi conderet. Id innuit Horatius Serm. lib. I. Sat. IIX. & *hortos novos* vocat:

Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis *considere in* hortis.
Hic prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat. Hæredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari. quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

16 Propertius lib. IV. eleg. IIX. *agros novos* appellat:

Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Quum vicina novis *aura cucurrit* agris.

17 In his hortis, quod porro ex Horatio liquet, *Priapi* etiam fuit *Sacellum*, à *Mæcenate* exstructum & dedicatum. Et recte fortassis Lil. Gyraldus de hist. Poët. Dial. IV. Ioh. Bapt. Pius Annot. poster. de L.L. & Gr. cap. XLI. & CLIII. & post hos Gaspar Scioppius in Collectan. quæ Priapeiis à
18 se editis præmisit, suspicantur ex iis Poëtis, qui cottidie ad Mæcenatem suum visebant, unumquemque versiculos aliquot jocosos in Sacelli parietibus notasse, quos in unum deinde collegerit libellum, & *Priapeiorum* nomine evulgarit ille, qui Carmen ad Lectorem præposuit. Nam quod Virgilio nonnulli, Ovidio, aut Martiali Priapeia adscribunt, id male fieri vel stilus indicat, qui non unius, sed

sed plurium esse cuivis apparet. In hos eosdem porro hor- 19
tos Tiberius olim, quum Cajo permittente è Rhodo reversus, sub conditione, ut Repub. abstineret, secessit; Druso tamen filio in forum producto, ut huic saltem ad Reip. honores aditus pateret. Ea de re Suetonius in Tiber. cap. XIV. *Romam reversus deducto in forum filio Druso, statim è Carinis ac Pompeiana domo, Esquilias in* hortos Mæcenatianos *transmigravit: totumque se ad quietem contulit, privata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers.* Vbi Casaubonus notat ex Epistolis Ciceronis ad Atticum; 20
morem eum fuisse Romæ nobilium adolescentum, ut mox à virili sumpta toga, à patre in proprias ædes emigrarent, quod non aliter suam dignitatem satis tueri viderentur. In iisdem itidem hortis *Turris* immensæ molis fuit, 21
summæque altitudinis, in parte eminentiori qua ascensus est post Thermas Diocletiani, inter Orientem & Aquilonem, quod vult Pomponius Lætus lib. de antiquit. Vrb. Rom. prope aggeres Tarquinii Superbi, opus olim mirabile. Ab ea turre, quum cætera Vrbis ædificia excederet,

Et septem dominos videre montes,
Et totam fuit æstimare Romam,
Albanos quoque Tusculosque colles;

quod de Julii Martialis hortis Martialis Poëta ait lib. IV. ep. LXIV. Etiam Tybur, Prænestе, Asculum, & nonnulla alia in circuitu vicina opida montana, oculis ab ea potuerunt usurpari. Hoc innuit iterum Horatius, & turrim il- 22
lam *molem nubibus propinquam* vocat Carm. lib. III. Ode XXIX. qua Mæcenatem ad cœnam invitat:

Non semper udum Tybur & AEsculæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ;
Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:

Omitte

Omitte mirari beatæ
Fumum & opes ſtrepitumque Romæ.

Atque ab eadem turri puto Horatium Mæcenatis *domum* vocaſſe *altam*, eo quem ex Epodis paullo ante adduxi loco. Suetonius Nerone cap. XXXIIX. turrim à conditore appellat *Mæcenaticam*, aut ut in aliis eſt codicibus, *Mæce-*
25 *natianam*. Addit idem de propudio illo hominis, Nerone (quum Vrbem palam incendi curaſſet, jamque uno momento, præter immenſum numerum inſularum, domus arderent priſcorum ducum, hoſtilibuſque adhuc ſpoliis ornatæ Deorum ædes, ab Regibus ac Punicis deinde bellis votæ dedicatæque, & quicquid viſendum atque memorabile ex antiquitate duraverat) quod *ipſe*, verba ſunt Suetonii, *incendium* turri Mæcenatiana *proſpectans, lætuſque flammæ, ut ajebat, pulchritudine, ἄλωσιν Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit*. Repetunt rem iiſdem penè verbis P. Diaconus lib. IIX. cap. v. & P. Oroſius lib. VII. cap. VII. Xiphilinus tamen, in Epit. Dionis, *apicem Palatii* nominat, qua proſpectarit. Tacitus dubium fecit utrumque. Non Vrbem enim is tantum, ſed domum etiam ipſam Mæcenatis, & hortos & Palatium & cuncta circum loca eodem momento à Neronis incendiario igne, ſed ipſo abſente, hauſta commemorat Ann. lib. XV. cap. XXXIX. *Eo tempore*, inquit, *Nero Antii agens, non ante in Vrbem regreſſus eſt, quam domui ejus, qua Palatium hortoſque Mæcenatis continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & Palatium & domus & cuncta circum hauirentur*. Factum id anno V. C. IↃCCCLVI. à nato Chriſto
27 LXIV. C. Lecanio Baſſo & M. Licinio Craſſo Frugi Coſs. Sunt tamen inter quos Jac. Laurus in Splendore antiqu. Vrb. Rom. qui domum Mæcenatis cum turri unam eandemque faciunt. Fuiſſe enim aiunt domum Mæcenatis admirabili ſtructura diſpertitam quatuor ordinibus & planitiebus,

nitiebus, una ſuper alteram in altum, ad modum turris excreſcentibus, cujus faſtigium deſinebat in theatrum, unde patuerit adſpectus non tantum in hortorum amœnitatem, ſed totius urbis amplitudinem. Atque in eam formam etiam à Lauro depingitur. Verum unde illi hæc habeant, me quidem latet. Hoc ſcio; deſcenſuris hodie 28
à Colle Quirinali, qua is forum Nervæ proſpectat, turris cujuſdam ruinas ac rudera etiamnum monſtrari, quam *Torre meza* Romani vocant, & partem domus ſive turris Mæcenatianæ fuiſſe volunt. Eam tamen rurſus alii partem templi credere malunt, Deo Soli à M. Aurelio dedicati: quod in medio relinquo. Videri poterit Andr. Schottus Itiner. Ital. part. II. cap. IIX. & Raph. Volaterranus Comm. lib. XVII. Nullus vero dubito, in Eſquiliis 29
olim, hortiſque Mæcenatis, ſtetiſſe marmora illa antiqua, quorum alterum hodieque ſupereſt Romæ in hortis Colotianis, cum inſcriptione ſequenti:

PERMISSU. C. MÆCENATIS.

Alterum, repertum in Via Gabina, viſitur nunc in hortis Epiſcopi Aquinatis, adverſum ædes Farneſii ad Tiberim:

LEIBERTOR. ET. LEIBERTAR
C. MÆCENATIS
L. F. POM
POSTERISQVE. EORVM. ET. QVI. AD. ID
TVENDVM. CONTVLERVNT
CONTVLERINT.

Vide Gruterum in Inſcriptionum opere pag. DCCCLXXIIX. num. VI. & DCCCCXLV. num. X.

CAPUT VICESIMUM-NONUM.

SUMMARIA.

1. *Mæcenatis valitudo.* 2. *perpetua febris & triennalis insomnia.* 3. *Die natali quotannis febre correpti.* 4. *Febrium diuturnarum exempla.* 5. *Capras perpetuo febrire.* 6. *Homo insomnis aëre vivens.* 7. *Qui diu insomnes vixerint.* 8. *Mæcenatis ex Symphoniarum cantu insomniæ remedium.* 9. *quod fugillat Seneca.* 10. *Musicæ usus in animo defæcando.* 11. *Indorum consuetudo.* 12. *& Pythagoræ.* 13. *Mich. Montani in filio educando exemplum.* 14. *Somnus ex fragoribus aquarum.* 15. *Silanus, Tullius, quid.* 16. *Mæcenatis obitus.* 17. *in senecta ætate.* 18. *Obitus Horatii post Mæcenatem.* 19. *de quo Torrentii opinio rejicitur.* 20. *Mæcenatis ultima verba ad Augustum.* 21. *Horatii mors ex voto.* 22. *Dies obitus.* 23. *Q. Cæcilii Claudii Isidori obitus.* 24. *Augustus à Mæcenate hæres scriptus.* 25. *Mos Augusti, in hæreditatibus captandis.* 26. *Mæcenatis tumulus in hortis suis.* 27. *juxtaque ipsum tumulatus Horatius.* 28. *ut Ennius juxta Scipionem.* 29. *Mæcenati à Pedone scriptum Epicedium.* 30. *Operis epilogus cum voto.*

1 VAletudine *Mæcenas* usus fuit minus commoda, & mira sunt, quæ de ea commemorantur. Etenim & *febri* laborasse *perpetua* scribitur, & sub finem vitæ *continuâ in-*
2 *somniâ.* Testis Plinius lib. VII. cap. LI. *Quibusdam*, inquit, *perpetua febris est, ut* C. Mæcenati. *Eidem triennio supremo nullo horæ momento contigit somnus.* Mira ista, inquam.
3 Nam die natali omnibus singulisque annis Antipatrum Sidonium febri corripi solitum, præter Plinium jam dicto loco, notavit Val. Maximus lib. I. cap. IIX. & exemplis aliis confirmant è medicis recentioribus Ant. Benivenius de abd. rer. causs. cap. LXXXIV. Amatus Lusitanus Centur. VII.
4 curat. LXXV. in Schol. atque alii: & qui quinquennio integro sine notabili incommodo febricitarit, visus est Thomæ à Vega Comm. ad lib. II. Gal. de diff. febr. Febrem quoque tertianam annos septem durasse; immo quendam ea ab anno undecimo ad quinquagesimum per triginta annos laborasse, testis est Zacutus Lusitanus Prax. admir.

admir. lib. III. obs. XXIX. totidemque annis mulierem eadem febri divexatam, jam ante observarat Bald. Ronsseus Epist. Med. XIII. Tricesimana insuper febri, seu tricesima tantum die adfligente, per triginta itidem annos virum quendam laborasse, meminit Valescus de Taranta Philon. lib. VII. cap. XII. Nec desunt quartanarum diuturnarum exempla: quarum alias V. VII. IX. immo XII. annos durasse observatum est. Alex. Massarias lib. V. de febr. cap. XXII. in annum XXII. Marcellus Donatus Hist. med. mirab. lib. III. cap. XIV. in annum XXIV. Joh. Wierus in Observ. in annum XXXIII. protractam annotarunt. Cum Claudio Imp. (quem per omne fere pueritiæ & adolescentiæ tempus variis ac tenacibus morbis conflictatum Suetonius in ejus vita cap. II. tradit) febrim annos L cohabitasse narrat Seneca in Apocolocynthosi. Nostro tempore Jac. Fontanus Consil. XVI. meminit mulieris, quæ ex minima sive corporis sive animi contentione facile in febrem inciderit satis durabilem, ut fere semper febre laborarit. At febri perpetua & sine intermissione laborasse, 5 solus *Mæcenas* notatus est: nisi quod ex bruto animantium genere capras perpetuo febrire testentur Varro de re rust. lib. II. cap. III. & Plinius lib. II. cap. L. De *trien-* 6 *nali Mæcenatis insomniâ* Lilius Gyraldus ait Histor. Poët. Dial. IV. se ea de re Plinio vix credidisse, ante quam apud Olympiodorum Alexandrinum in Phædonis Comm. le- 7 gisset, hominem insomnem vixisse, & solo aëre se sustentasse. Henricus tamen Smetius, vir doctissimus, Miscell. Med. lib. X. refert puellam in Palatinatu, quæ decem annis sine cibo & potu vixerat, semel tantum intra sex annos octava horulæ parte dormivisse. Et ὁ χαρίεσσα Heurnius lib. de morb. cap. XVI. Papiæ sibi à quopiam relatum scribit, Nizolium, Ciceronis illam simiam, decennio integro somnum non vidisse. Immo Hier. Mercurialis Pract.

part. I. lib. I. cap. XXVII. memoriæ prodidit cognitam sibi nobilem matronam, quæ XXXV. annis insomnis vixerit, 8 sana & citra noxam. Quæsivit autem *Mæcenas* in diuturna ægritudine insomniæ suæ variis ex rebus remedia. Mentionem rei facit Seneca lib. de Provid. cap. III. in hæc verba: *Feliciorem ergo tu* Mæcenatem *putas, cui amoribus anxio, & morosæ uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per Symphoniarum cantum, ex longinquo lene sonantium, quæritur? Mero licet se sopiat, & aquarum fragoribus avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille* (Regulum intelligit) *in cruce.* Duo autem hic dicit Seneca. Nam & caussam insomniæ Mæcenatis ex zelotypia, & uxoris morositate ac repetitis repudiis accersit: & remedia notat, quibus is malo suo co- 9 natus fuerit mederi. In caussa assignanda, ingenii animique ductum sequutus, solens more suo facit, Mæcenatemque non ex merito acri sale defricat. Qui enim febre perpetua laborabat, valitudineque sub ultimum vitæ terminum, defectis ob exantlatos immensos labores viribus, erat admodum incommoda; is etiam citra zelotypiam, aut alium animi affectum, insomnia torqueri, ac vigiliis nimiis distentus, cogi poterat ad remedium sibi undecunque comparandum. Remedia ipsa quod attinet, de somno sane ex Liberi potione Senecæ nihil credimus. Novimus Mæcenatis in vino temperantiam, etiam in cruda adhuc ætate, & dum sanè ageret, suoque in loco id adstruximus. De voluptatibus mille aliis, quum nec unam earum idem exprimat, nihil necessum habemus dicere. 10 Remedia vero ex cantu Symphoniarum ex longinquo lene resonantium, & aquarum fragoribus rationalia sunt: & vel ipse ea ex medicorum Scholis deprompsit Mæcenas, vel à Musa suo, Augusti medico hausit. Vtrumque remedium in simili casu tangit Paullus ex Ægina medicus do-

doctissimus lib. I. cap. XCIIX Verba sunt: *De sanorum autem vigilia nunc dicendum. Siquidem igitur aut ex mœrore, aut ob curam, aut animi affectum quempiam vigiliis torqueantur: primum quidem id, quod mœrorem facit, si fieri queat, præscindemus. Deinceps etiam jucundiorum sonorum auditu, cogitationem ab illis abducemus. Et quidam sane sonum aquæ placidum ad hoc machinantur, quo deliniti ad somnum deducuntur.* Et scire debebat Seneca, non statim effœminatos aut molles esse, qui sive morbo affecti, sive integra etiam & inculpata sanitate fruentes, *Musicæ* sonis somnum sibi accersеant, aut etiam ad eos rursum evigilent, aut expergiti animum iisdem excitent, ut ad operas obeundas alacriores reddantur: atque hoc ex philosophorum Scholis, quorum pars magna esse vult, promanasse, atque ipsius sapientiæ sacrariis. *Indorum* certe *sa-* 11 *pientes*, ut auctor est Philostratus in vita Apollon. lib. II. cap. XIV. Regem suum dormitum euntem cum symphoniæ accedebant, paræneses ipsi accinentes, ut & somniis frueretur optimis, & χρηστὸς mane exurgeret, & ξύμβολον τοῖς ὑπηκόοις, *benignus & subditis bene consulens.* De *Py-* 12 *thagora* auctor est Censorinus lib. de die natali, cap. XII. eum, ut animum sua semper divinitate imbueret, prius quàm se somno daret, & quum vicissim esset expergitus, cithara cantare consueviſse. Nec desciverunt à præceptore discipuli. *Pythagoreis*, inquit Quinctilianus lib. IX. cap. IV. *moris fuit, & quum evigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores: & quum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent.* Et imitatus est eos 13 nostris temporibus *Michaëlis Montani* pater, qui filium non nisi symphoniarum sono quovis mane evigilare, aut ex somno excitari voluit. *Il me faisoit*, inquit de parente filius, en ses Essais liv. I. chap. XXVI. *esveiller par le son de*

quelque instrument, & ne fus jamais sens homme, qui m'en servist: sive, ut Latine dicamus: *Excitari me semper curavit pater sono instrumenti Musici cujusdam: nec unquam defuit, qui ea in re operam mihi commodaret.* Scio quid regerere voluisset Seneca, quidque dicat Epist. L. *Malle, quisquis vir sit, somnum suum classico, quam symphonia rumpi.* Verum & hoc virorum esse ostendi, & illud suo tem-
14 pore non subterfugit Mæcenas. De altero ad somnum ex aquarum fragoribus quæsito remedio, præter Paullum Æginetam Horatius meminit, & naturali aquarum decursu, si ad eos decumbamus, somnum invitari docet, Epod. Ode II. ubi vitam laudans rusticam, ita infit:

Labuntur altis interim ripis aquæ,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Artificiali aquarum delapsu idem effici posse notat Corn. Celsus lib. III. cap. XIIX. *Confert*, inquit, *aliquid ad so-*
15 *mnum Silanus juxta cadens.* Est autem *Silanus*, tubus, in id factus, ut aqua per ipsum feratur aut delabatur: Græcis Κρȣνὸς & Ὑδρίον. Lexicon Philoxeni: *Silanus*, Κρȣνὸς. Lexicon Cyrilli, ut vocant: Κρȣνὸς, *fluor*, *Silanus*. Item Ὑδρίον, *lacum*, *Silanum*. Lucretius lib. VI. de iis, qui in peste Attica, ad fervorem & æstum exstinguendum, aquæ potu se invitarant largius, & ad tubos ejusmodi inveniebantur mortui:

Corpora, Silanos ad aquarum, strata jacebant.

Alii *Tullios* appellarunt. Festus: *Tullios, alii Silanos dixerunt, alii rivos, &c.* Adde huc quæ habet Lipsius Notis ad Senecæ Epist. C. & eruditissimus Paullus Neucrantzius amicus noster lib. de Purpura cap. XXX. Nos revertimur
16 ad Mæcenatem. Is continuis tandem malis ac laboribus fractus, senii insuper, quod per se morbus est, molestiis confectus succubuit, ac de scena mundana decessit C. Martio

Martio Censorino & C. Asinio Gallo Coss. anno V. C. IↃCCXLV. ante natum Salvatorem VI. imperii D. Augusti XXXVII. Quanquam enim de *senio Mæcenatis* dubitari queat, quum non dies quidem, sed annus natalis ignoretur, atque iccirco annorum ætatis ratio exacta iniri nequeat: tamen si conjecturis indulgere liceat, verisimile fuerit Mæcenatem consiliis Augusti juvenis moderandis, non minorem XXV. annis potuisse assumi. Quum vero eadem feliciter usque in annum jam dictum moderatus fuerit, utique ad minimum sexagenario major rebus humanis exemptus fuit. Senecta sane ætate decessisse ex 17
Pedonis, scriptoris coætanei, Epicedio certi sumus, cui non una vice *senex* vocatur, & qui dignus sit Nestoris secula vitæ spatio superare; aut herbis Colchidos, ut Æetes olim, rejuvenescere; aut Auroræ esse maritus, quæ, ut Tithono seni, ita Mæcenati, nectaris usu senium prohiberet. Versus ipsos apud Auctorem leges. Eodem au- 18
tem anno, quo Mæcenas, obiit & Horatius, patronum ex brevissimo intervallo sequutus. Adrianus quidem Turnebus, & Lævinus Torrentius, quod paullo ante monuimus, Horatium ante Mæcenatem diem suum obiisse, illumque ab hoc in funere Phaleucis epicediis honoratum credidere. Turnebus nullas suæ adsertionis adfert rationes: Torrentius testem citat Dionem, qui anno V. C. IↃCCXLVI. Mæcenatem obiisse testetur: & Eusebium, cui Horatius anno præcedenti, seu IↃCCXLV. obiit. Verum 19
Dio id nullus dixit, quod vult Torrentius; sed obiisse tantum Mæcenatem scribit Censorino & Asinio Gallo Coss. qui, si recte & cum doctioribus rem supputes, Consulatum gessere eodem tempore, quo Horatium vita functum notavit Eusebius, anno nempe IↃCCXLV. Supervixisse etiam, non Mæcenatem Horatio, sed Horatium Mæcenati, vel unus sufficientissimus fuerit testis Suetonius, qui in

20 in vita Horatii inter ultima verba Mæcenatis, de cliente
suo superstite in extremo etiam vitæ agone soliciti, ista ad
Augustum fuisse refert: *Horatii Flacci, ut mei, memor esto.*
21 Horatio vero id obtigit quod unice semper optarat, futu-
rumque sibi certo persuaserat, ut ex Carm. lib. II. Ode
XVII. videre est. Etenim nec DIs amicum esse, ibi ait,
nec Parcis ita complacitum, nec velle utriusque thema
natalitium, ut alter altero prius vita cedat, sed una dies
utramque ducat ruinam. Idque, ut ab eventis etiam rem
probet, jam ante patuisse ex eo ait, quod Mæcenate perí-
culosius aliquando decumbente, ipse pene arboris lapsu
fuerit exanimatus. Sed adeant Horatium, qui velint, at-
22 que ipsa ejus videant verba. Obiit autem Horatius, ut ha-
bet Suetonius, in fine anni, die V. Decembris: Mæcena-
tem vero obiisse mense Sextili, ex Dione conjicio. Dion
enim, ubi lib. LV. multa feliciter anno V. C. IↃCCXLV
Augustum egisse, ac præter alia etiam mensem Sextilem
de suo nomine appellasse scribit; subjungit: ut læta ista
fuerint Augusto omnia, ita Mæcenatis mox obitu gravi-
ter fuisse afflictum. Ex quo verisimiliter colligas, ipso
mense Sextili, jam Augusti nomen sortito, Mæcenatem
23 vita functum. Eodem anno fatis etiam concessit Q. Cæ-
cilius Claudius Isidorus; qui licet multa bello civili per-
didisset, reliquit tamen, si Plinio credimus lib. XXXIII.
cap. X. Servorum quatuor millia & sedecim, juga boum
tria millia & sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinqua-
ginta millia, & in numerato H-S. IↃC. ac funerari se jussit
H-S. XI. quorum prior summa est nostræ monetæ millies
& quingentorum Philippicorum, sive, ut hodie vocamus,
millionum decem cum semisse: posterior Philippicorum
24 viginti septem millium & trecentorum. Cæterum Mæce-
nas jam moriturus testamentum condidit, atque in ejus
tabulis hæredem scripsit Augustum: tum ut in vitæ extre-
mo

mo observantiam etiam suam erga ipsum testaretur; tum
voluntati ejus & desiderio satisfaceret. Augustus enim,
quamvis minime hæreditates appeteret, ut ait Suetonius in 25
ejus vita cap. LXVI. *& legata à parentibus liberis cum in-
cremento restitueret; amicorum tamen suprema judicia mo-
rosissime pensitabat: neque dolore dissimulato, si parcius aut
citra honorem verborum: neque gaudio, si grate pieque se
quis prosequutus fuisset.* Itaque de Mæcenate Dion loco
adducto: Mæcenas *hæredem Augustum scripsit, ac præter
minima quædam in ejus potestate reliquit, si vellet amicis
dare.* Tumulum tandem Mæcenatem in *Esquiliis*, ubi 26
hortus ejus domusque erant, accepisse colligimus ex ad-
ducto Suetonii loco, ubi ait Horatium *humatum & condi-* 27
tum extremis Esquiliis juxta Mæcenatis *tumulum*: quæ
verba expressit Cantalicius sequenti districho in Eleg. de
vita Horatii:

Et Mæcenatis *prope molliter ossa sepultus,*
Occubat Vrbanis Flaccus in Esquiliis.

Consimili nempe fortuna hoc obtigit Horatio, ut à mor- 28
te ad Patroni latus sepulchrum sortiretur; qua olim, ut
est apud Ovidium lib. III. de Arte, ex Livii lib. XXXVI.

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Extat Mæcenati scriptum *Epicedium* à *C. Pedone Albinova-* 29
no non inelegans, in quo delibantur ejus laudes & res
gestæ, excusantur vitia & nævi; cujus versus in testimo-
nium sæpe citavimus, & integrum atque emaculatum mox
subnectemus. Interim hæc ea sunt, quæ de vita Mæcena- 30
tis ex omnis generis scriptoribus in medium adducere
volui. Virtutes in ipso vidimus eximias, quas licet vitia
quædam obfuscare videantur, tamen, ut aliquotiens dixi,
seculo ea maxime sunt imputanda, quo vixit: quod deli-
ciis & libidine omnimoda tantum non diffluebant. Nec

tanta ea sunt, quæ momentum habeant ad tam illustrium virtutum lancem deprimendam. *Vivit ille, vivetque,* quod de Cicerone dicebat Vellejus lib. II. *per omnium seculorum memoriam, dumque hoc rerum naturæ corpus manebit incolume, comitem ævi sui laudem* Mæcenatis *trahet, citiusque in mundo genus hominum, quam ea cadet.* Nos grato agnoscamus animo, illustris hujus viri beneficentia præstantissimorum Poëtarum labores non paucos ad nostram ætatem perveniisse. Nisi illis enim noster hic tam præclara fecisset otia, thesauris tot tantisque frui nobis nunc non liceret. DEUS Opt. Max. excitet ultimo huic nostro etiam seculo *Mæcenates*, atque excitatos bono publico diu sospitet; ut literarum bonarum studia, & quæ absque his commode doceri nequit, cælestis veritas magis indies magisque efflorescant, & in seram, si qua est futura, posteritatem propagentur.

FINIS.

C. PE-

C. PEDONIS ALBINOVANI,

IN OBITUM

C. CILNII

MÆCENATIS,

ELEGIÆ DVÆ:

Recensitæ & Notis illustratæ,

A

JOAN. HENRICO MEIBOMIO.

VIRO

NOBILI, AMPLISS. ET CONSVLTISS.

D. CHRISTIANO CASSIO, IC.

Reverendissimi, & Illustrissimi,

LUBECENSIUM EPISCOPI

CONSILIARIO INTIMO,

ET

CANCELLARIATUS

DIRECTORI,

DOMINO ET AMICO MEO

MAXIMO.

ESSE occultos in hominum animis motus, tacitasque inclinationes, quibus acti mutuum nos invicem amamus, omnique affectu prosequimur, tum naturæ consulti nos docent, tum ipsa quotidie testis est experientia. Fatone id fiat aliquando, aut aliquo

Sidere & occulto, quod nos sibi temperet, astro;

an morum sit similitudo, aut studiorum ratio, quæ nos ducat, aut caussa aliqua alia, haut facile dixerim. Hoc sane scio, totos jam effluxisse hos duo de viginti annos, ex quo primum nos invicem vidimus, verborum nonnihil copulavimus,

dextras junximus, quum ſubito, dictum factum! coiit inter nos ea amicitia, & ex brevi intervallo tam arcte coaluit, tamque altas radices egit, ut nec divelli, nedum exſtirpari, ſive temporis decurſu, ſive ulla fortunæ lubricitate valuerit. Tu mihi quid quare tribueris, tibi videris: ego Te tum ob virtutem morumque temperiem, tum eruditionem ſummam, & colere tum cœpi, & colam,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Quos vero ab eo tempore amicitiæ ego perceperim fructus, & quam magnis multiſque beneficiis me Tibi devinctum teneas, nec meum eſt hic recenſere, nec Tuum audire. Nec ſum etiam iſtis luendis, nec eſſe velim, ſi poſſim. Nomen tantum bona fide agnoſco, & me totum nexu mancupioque profiteor Tuum. Offero interim Tibi hanc meam *ad Mæcenatem Adpendicem;* ſive *Pedonis Epicedium* Mæcenati olim ſcriptum. Accipies id non ut meritum, ſed æqui bonique conſules, ut indicium ſingularis in Te obſervantiæ, quod hoc quaſi teſte firmare volui. Hoc ſi lubenti animo feceris, erit quod gaudeam, & de quo mihi gratuler. Nemini enim diſplicitura confido, quæ Tibi, virorum Summo, & his literis inter primos imbuto, placuerint. Deus Te ſervet felicitetque. Vale.

Nominis & virtutum Tuarum cultor

J. H. MEIBOMIVS.

DE

C. PEDONE ALBINOVANO

AD LECTOREM PRÆLOQUIUM.

Auctorem harum duarum Elegiarum, benivole Lector, qui de C. Cilnii Mæcenatis obitu eas conſcripſit, primus quod ſciam, Joſephus Scaliger, eruditiſſimus virorum, Comm. ad Appendicem Virgilianam, ſive Catalecta ejus, nos docuit fuiſſe C. Pedonem Albinovanum: *qui de morte etiam Cl. Druſi Germanici Elegiam ad Liviam Auguſtam perſcripſit; M. Lollii, quem Horatius lib. I. Epiſt.* XIIX. *amicum vocat, familiaris. Scaligerum ſequuntur Gualtherus Chabotius Comm. ad Horatii librum jam dictum, Ode* IIX. *nonnullique alii. Non defuere quidem, qui* Virgilio, *qui Ovidio; aut ob ſtili familiaritatem, ut credidere,* Lactantio, *adſcribere maluerunt. Caſpar Barthius Adverſ. lib.* XVII. *cap.* IIX. *lib.* XXIII. *cap.* X. *& lib.* XXIV. *cap.* XIV. *& Ioh. Ger. Voſſius, lib.* II. *de arte Grammat. cap.* XXVII. *viri magnorum in literas meritorum,* Scholaſtici *cujuſdam* Poëtæ *fœtum eſſe cenſuerunt. Quanquam idem Barthius lib.* X. *cap.* IX. *non alium Naſone ipſo arbitretur. Verum minus recte forſan iſti omnes. Quum enim Virgilius ante Mæcenatem deceſſerit, Epicedium huic ille ſcribere minime potuit. Stilus etiam non à Virgiliano tantum, ſed Ovidiano etiam & Lactantiano, immane quantum diſcrepat. Humilitas vero verſuum nihil prohibet, quo minus Latini ſint, & bono iſto Auguſti ſeculo nati. Nec enim omnium Poëtarum poëmata eodem ſpiritu animantur, nec, idem ſeculum quos protulit, omnes eandem elegantiam in ſcriptis ſuis prodidere. Recte I. C. Scaliger, judicioſiſſimus cenſor, lib.* VI. *de re Poët. cap.* VII. *ubi de Sabini Epiſtolis agit,* Tres Epiſtolæ, *inquit,* Ulyſſis,

Ulyſſis, Demophoontis & Paridis ad Oenonen, ſane parvi ſunt momenti: quas propterea qui Sabini negant eſſe, ſi Sabinus quantus fuerit neſciunt, quonam pacto negare audeant? Non meminere illo quoque ſeculo exſtitiſſe Marſos, Suffenos, Voluſios, Bavios, Anſeres? *Idem & de Pedone dici poſſet. Tralaticium præterea eſſe ſcimus, unum eundemque auctorem, pro argumenti ratione quod tractat, nunc remiſſiori & molliori uti genere dicendi, nunc graviore, magiſque accurato adſurgere. Certe noſter hic Pedo, ut molli utitur ſtilo in Mæcenatis vitæ mortiſque deſcriptione, qui liberius paullo vixit, ita graviore matronam Principem, Druſi Germanici puta matrem, alloquitur; nec tamen ſui omnino diſſimilis evadit. Notavit hoc adamuſſim optime Ioſ. Scaliger, & addit, multa in hoc Poëmate, ſive Elegiis hiſce cognitu digna deprehendi, quæ Poëtis Scholaſticis in mentem venire non potuerint. Meminit Pedonis Quinctilianus, atque inter Poëtas heroicos recenſet, &* non indignum cognitione, ſi vacet, *judicat, lib.* x. *cap.* i. *Seneca etiam Rhetor Suaſoria* i. *Spiritum ejus in heroicis agnoſcit & laudat, fragmentumque ſimul recitat Carminis, quod navigante Germanico conſcripſerit. Martialis, qui* doctum *vocat,* Epigrammatum laſciviorum *ſcriptoribus accenſet, in Epiſt. quam lib.* i. *Epigramm. præfixit.* Laſcivam, *inquit,* verborum licentiam, id eſt, epigrammatum linguam excuſarem, ſi meum eſſet exemplum. Sic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic *Pedo,* ſic Getulicus, ſic quiſquis perlegitur. *Et liquet idem ex ejuſdem Martialis lib.* ii. *epigr.* lxxvii. *ubi longitudinem excuſat epigrammatum, & addit.*

Diſce quod ignoras; Marſi, doctique *Pedonis,*
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.

Et lib. v. *epigr.* v.

Sit locus & noſtris aliqua tibi parte libellis,
Qua *Pedo,* qua Marſus, quaque Catullus erit.

Seneca Philoſophus Epiſt. cxxii. fabulatorem elegantiſſimum *vocat. Eſt & Ovidii Epiſtola* x. *libri* iv. *de Ponto ad* Pedonem, *qua & Theſei res geſtas ab ipſo deſcriptas edocemur. Verſus ſunt iſti:*

At tu, non dubito, quum Theſea carmine laudes,
Materiæ titulos quin tueare tuæ;
Quemque refers, imitere virum: vetat ille profecto
Tranquilli comitem temporis eſſe fidem.
Qui quantum eſt factis ingens, & conditur à te,
Vix tanto, quantus, debuit ore cani.

Elegia vero ultima idem Ovidius, à ſtili forte alti loquentia, Pedonem *vocat* Poëtam ſidereum:

Quum foret & Marſus, magnique Rabirius oris,
Iliacuſque Macer, ſidereuſque *Pedo.*

Quo epitheto Poëtarum principem honorat Columella lib. x. *hoc verſu:*

Siderei vatis referens præcepta Maronis.

Meminit Pedonis *& Sidonius Apollinaris:*

Non Getulicus hic tibi legetur,
Non Marſus, *Pedo,* Silius, Tibullus,
Non quod Sulpitiæ jocus Thaliæ
Scripſit blandiloquum ſuo Caleno.

Verum an iſta omnia de uno Pedone, *aut pluribus dicta ſcriptaque fuerint, haud liquido affirmaverim. Alium certe à* Pedone Albinovano, *fuiſſe* Albinovanum, *cui inſcripta eſt Horatii Epiſtola* ix. *lib.* i. *docet Lilius Gyraldus Hiſt. Poët. Dial.* iii. *Sed relinquimus iſta in medio.* Notæ *in Elegiam utramque, quas tibi una offerimus, amice Lector, pleræque ſunt Ioſephi Scaligeri; quædam etiam noſtræ, atque aliorum, quos ſemper indicavimus, ne quemquam opera ſua privatum iremus. Tu fave, & vale.*

CASPAR BARTHIUS
Epidorp. lib. IIX. Epigr. LVI. de Pedone.

Periſſe me, juvare Critici dicunt:
Ego ſuperſtes omnibus tamen vivo.

OCTAVIUS CLEOPHILUS
Fanenſis, in Cœtu Poëtarum.

Hic vates ſedet Aſcra tuus; Lucretius illic,
Qui grave de rerum ſemine pandit opus.
Hic Lunam & ſtellas & ſidera cantat Aratus:
Hic Linus, hic acer Manlius, hicque Pedo.

GERARD. JOH. VOSSIUS
Præfat. in libros de vitiis ſermonis.

Vigorem ac maturitatem in proſa habent Cicero, Cæſar, &c. in carmine Lucretius, Catullus, Maro, Horatius, Tibullus, Propertius, Gratius, Ovidius, Pedo Albinovanus, *& his æquales.*

C. PE-

C. PEDONIS ALBINOVANI,

In Obitvm

MÆCENATIS,

ELEGIA PRIMA.

Epicedion Mæcenatis.

Deſleram[1] *juvenis triſti modo carmine fata:*
Sunt etiam merito carmina danda[2] *ſeni.*
Vt[3] *juvenis deflendus erat tam candidus, & tàm*
Longius annoſo vivere dignus avo.
Irreligata ratis nunquam defeſſa carina
It, redit in vaſtos ſemper onuſta lacus.
Illa[4] *rapit juvenes prima florente juventa:*
Non[5] *oblita rapit ſed tamen illa ſenes.*
Nec mihi, Mæcenas, tecum fuit uſus amici,
[6] *Lollius hoc ergo conciliavit opus.*
Fidus eras[7] *nobis nam propter Cæſaris arma,*
Cæſaris & ſimilem propter in arma fidem.

[1] Vide nos in Mæcenate cap. 27. num. 23.
[2] Vide ibid. cap. 29. num. 14.
[3] Joſ. Scaliger ex MS. legit: *Vt juvenis deflendus enim tam candidus & jam.* ut ſit ſententia: Mæcenas non minus deflendus, quam quivis acerba morte juvenis præventus: utpote qui quovis ſene erat dignior vivere.
[4] Pedo ſui ſimilis ita ſcribit Elegia ad Liviam: *Illa rapit juvenes, ſuſtulit illa ſenes.*
[5] Scaliger ex veteri membrana, quæ habet; *Non oblita tamen, ſed repetitque ſenes*; ita legit: *Non oblita tamen ſurripit atque ſenes.*
[6] al. *Illius*, malè. Intelligit *Maximum Lollium*, Trojani belli ſcriptorem, ex Horatio notum.
[7] Scaliger legit: *Fidus erat vobis.* Vobis nempe vult dicere, amiciſſimus fuit Lollius, tibi & Cæſari.

Regis eras[8] *genus Etrusci: tu Cæsaris almi*
Dextera[9]*, Romanæ tu vigil Vrbis eras.*
Omnia[10] *quum posses, tanto tam carus amico:*
Te sensit nemo[11] *velle nocere tamen.*
Pallade[12] *cum docta Phœbus donaverat artes.*
Tu decus & laudes[13] *hujus & hujus eras.*
Vincit[14] *vulgares vincit Beryllus arenas,*
Littore[15] *in Etrusco quas simul*[16] *unda manet.*
Quod[17] *discinctus eras, animo quoque, carpitur unum:*
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,
Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.
Invide,[18] *quid tandem tunicæ nocuere solutæ?*
Aut tibi[19] *ventosi quid nocuere sinus?*
Num minus Vrbis erat custos & Cæsaris[20] *obses?*
Num[21] *tibi non tutas fecit in Vrbe vias?*

[8] Scaliger legit. *Regis eras Etrusce genus.*

[9] *Cæsaris dextera*, id est, primus à Cæsare. Vid. in Mæcen. cap. 6. num. 8.

[10] In eandem sententiam idem Pedo de Livia ait; *Nec nocuisse ulli & fortunam habuisse nocendi.* Vide in Mæcen. cap. 7. num. 3. & seqq.

[11] al. *posse.* sed minus bene.

[12] Vide Mæcen. cap. 5. num. 12.

[13] Vide ibid.

[14] Occurrit objectioni de studio Mæcenatis gemmarum, quod ipsi exprobrabatur. Vide in Mæcen. cap. 21. num. 1. 2. De *beryllis*, quos Mæcenas amavit, Vide ibid. cap. 25. num. 2.

[15] *In extremo.* al. *Erythræo*, omnium optimè.

[16] Barthius Adversf. lib. 41. cap. 3. & Animadversf. ad Claudiani lib. 2. in Ruffin. versu 245. legit *vomit*: ut magna insigniſque intelligatur copia. Virgilius. *Mane salutantum totis vomit ædibus undam.* Prudentius Coronat. Hippol. *Vrbs augusta suos vomit effunditque Quirites.* Adde, Lector, Manilium lib. 4. *Et vomit Oceanus pontum, sitiensque resorbet:* & Serenum cap. 41. ubi *vomicas* vocat, *quos dira vomit natura tumores.* Salm. Exerc. Plin. ad Solin. c. 40. videtur legisse, *movet.*

[17] Vide in Mæcen. cap. 19. num. 10. & seqq.

[18] Vetus membrana habet, *Livide*, Scal.

[19] al. *At tibi.* minus rectè.

[20] al. *hospes.* malè.

[21] Vetus scriptura, *Nunc tibi*: ex quo lego *Nuncubi.* Interrogat vero quasi de nocturno insessore & præmiatore. Scal.

Nocte

Nocte sub obscura quis te spoliavit[22] *amantem?*
Quis[23] *tetigit ferro, durior ipse latus?*
Majus erat potuisse, tamen nec velle triumphos:
Major[24] *res magnis abstinuisse fuit.*
Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canoras,
Paucaque[25] *pomosi jugera*[26] *certa soli.*
Pieridas Phœbumque colens in mollibus hortis,
Sederat[27] *argutas garrulus inter aves.*
Marmora[28] *Mæonii vincunt monimenta libelli:*
Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.
Quid faceret? defunctus erat comes impiger idem
Miles & Augusti fortis & usque pius.
Illum[29] *piscosi viderunt fata Pelori*
Ignibus[30] *hostiles*[31] *tradere ligna rates.*
Pulvere[32] *in AEmathio fortem videre Philippi:*
Quam[33] *nunc ille tener! tam gravis hostis erat.*

[22] Κωμάζουσα ad amicam. Scal.

[23] *Tangere latus ferro*, proverbialiter dixit. & Plautus Bacchid. *Perii hercle: Iembus ille mihi ladit latus.* In latere enim partes κωμάζας. A quo dicitur, *tangere latus alicui*, τὸ δορυφορεῖν. Scal.

[24] al. *Majores.* malè. Semper autem Mæcenas contentus fuit manere privatus. Propertius. *Mæcenas eques Etrusco de sanguine Regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam.* Scal. Vide Mæcen. cap. 3. num. 3.

[25] Intelligit hortos Mæcenatis. Subjungit enim: *Pieridas Phœbumque colens in mollibus hortis.* Scal. In quibusdam libris legitur, *pomposi*, malè. Voce *pomosi*, usus est Columella lib. 10. De hortis Mæcenatis vide Mæcen. cap. 28. num. 7.

[26] *certa.* al. *serta*, item *culta.*

[27] Dusa pater legit: *Sidere & argutas.*

[28] Legebam, inquit Scaliger, *Marmora Aonii.* Sed manu scripta lectio docet aliter legendum. Ea habet, *Marmora Minæi.* Lego *Marmora Smyrnæi.* Nam sane prius scriptum puto *mirnei. Marmora monumenta* dictum, ut *rete jaculum, lapide silice.* Vide eundem Scaligerum in Catalectis.

[29] Intelligit de pugna navali in freto Siculo cum Sexto Pompeio. Vide Mæcen. cap. 11. num. 9.

[30] Scaliger optime emendat. *Ignibus hostilis tradere ligna ratis.*

[31] *tradere.* al. *reddere.* minus commodè.

[32] Vide in Mæcenate cap. 8. num. 14.

[33] Melius vetus membrana: *Quam nunc illo tener, tam gravis hostis erat.* Scal. Alii legunt: *Quam tener ille fuit, &c.*

Quum freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
Fortis erat[34] *circum, fortis & ante Ducem.*
Militis Eoi fugientis terga sequutus,
Territus[35] *ad Nili dum fugit ille caput.*
Pax erat, hæc illos laxarunt otia cultus.
Omnia victores Marte sedente[36] *decent.*
Actius[37] *ipse lyram plectro percussit eburno,*
Postquam victrices conticuere tubæ.
Hic modo miles erat, ne posset[38] *fœmina Romam*
Dotalem stupri turpis habere sui.
Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.
Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
Potasti[39] *galea dulce levante merum.*
Et tibi securo tunicæ fluxere solutæ:
Te puto purpureas tum habuisse[40] *duas.*
Sum memor & certe memini sic ducere thyrsos
Brachia[41]*, purpurea candidiora nive.*
Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus & auro:
Serpentes[42] *hederæ vix habuere locum.*

[34] al. *circa.*

[35] al. *Tertius*, malè.

[36] Virgilius. *Mars impius intus Sæva sedens super arma & centum vinctus ahenis Post tergum nodis fremit horridus ore cruento.*

[37] Intelligit *Apollinem Actium.* ad Actiacam victoriam respiciens.

[38] *Cleopatram* intelligit. Vide Mæcen. cap. 12. num. 5. cap. 14. & num. 2. & 3.

[39] Poculum militis *galea.* Statius Thebaid. lib. 3. *Hostilem Hismenum galeis Dircenque bibemus.* Lucanus. *concitus ira Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.* Frid. Lindenbruchius. Adde ex Propertio lib. 3. El. 10. *Potasti galea fessus Araxis aquam.* & Sidonio, Paneg. Anthemii: *Indicus Ausonio potetur casside Ganges.* Exempla vide plura alia apud Th. Dempsterum Annot. ad Rosini Antiq. Rom. lib. 10. cap. 10.

[40] Pro *duas*, legerim *tuas*. tunicas enim à bello purpureas suas gestavit, non duas.

[41] *Purpurea*, id est *pulchra.* Ita Servius explicat illud Virgilii, lib. 1. Æn. *Lumenque juventæ Purpureum:* & Porphyrio illud Horatii lib. 4. Ode 1. *purpureis ales oloribus.*

[42] *Hederæ*; al. *ederæ.*

Ar-

Argentata[43] *tuos etiam*[44] *sandalia talos*
Vnxerunt certe, nec puto, Bacche, negas.
Mollius[45] *es solito mecum tum*[46] *plura loquutus,*
Et tibi consulto verba fuere[47] *nova.*
Impiger[48] *Alcide, multo defuncte labore,*
Sic memorant curas te posuisse tuas.
Sic te cum tenera lætum lusisse puella,
Oblitum Nemeæ, jamque Erimanthe tui.
Vltra nunquid erat? torsisti pollice fusos,
Lenisti[49] *morsu lævia fila parum.*
Percussit[50] *crebros te propter Lydia nodos:*
Te propter dura stamina[51] *rupta manu.*
Lydia ter tunicas jussit lasciva fluenteis
Inter lanificas ducere sæpe suas.
Clava torosa tibi pariter cum pelle jacebat,
Quam pede suspenso percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret[52] *quum jam impiger infans*
Hydros ingenteis vix capiente manu?

[43] *Argentata*, dictum ut, *aurata.* Sed ne quid dissimulem, malo *amentata.* Amentati calcei veteribus dicebantur, & *obstrigilli.* Scal.

[44] *Sandalia.* Semper suspecta mihi hæc lectio: quum *sandalium* secundam correptam habeat. Sed recte vetus membrana habet *talaria.* Ita repone. Scal.

[45] Vetus membrana, *Albus es solito.* Lego, *Balbius es solito.* Balbutientem ex ebrietate intelligit, ut ἀνὴρ, πιὼν τὸν οἶνον, ὡς ὕδωρ ἵππος, σκυθιστὶ φωνεῖ, μηδὲ κάππα γινώσκει. Scal.

[46] *Plura.* al. *multa.*

[47] *Nova*, id est, *insolita*, ἄτοπα, ξενὰ. tanquam alucinantis ex crapula. Virg. in Ciri: *Plurimus ergo Virginis insolitæ sermo novus errat in ore.* Scal.

[48] Al. *Alceide.*

[49] *Lenisti morsu.* Idem voluit Catullus. *Atque ita decerpens æquabat semper opus dens, Quæ prius in tenui fuerant extantia filo.* Hoc Atticis erat κροκοδίζειν. Philetærus Comicus: κροκοδίζουσαν αὐτὴν κατέβαλον. Pollux exponit, ἐκλέγουσαν τὸ τραχὺ. Scal.

[50] *Percutere* σπαθεῖν. verbum textorium: & σπαθηταὶ ἐσθῆτες, *densæ, contrariæ rallis.* Scaliger. Vide eundem Notis ad Virgilii Cirin, ad versum: *Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.*

[51] *Rupta*, al. *rapta.* non male.

[52] Vetus membrana habet, & antiquitus excusi, *quum jam premit integer.* Puto legendum: *quum rumperet impiger infans.*

Quum-

Quumve renascentem tereret velociter hydram,
Frangeret immanes vel Diomedis equos?
Vel tribus adversis communem fratribus alvum,
Et sex adversas solus in arma manus?
Fudit & [53] *Aloidas, postquam dominator Olympi*
Dicitur in nitidam procubuisse [54] *bovem.*
Atque aquilam misisse suam, quæ quæreret, ecquis
Posset [55] *amaturo vina* [56] *referre Iovi.*
Valle sub Idæa dum te [57]*, formose sacerdos,*
Invenit, & presso [58] *molliter ungue rapit.*
Sic est: victor amet, victor [59] *potiatur in umbra,*
[60] *Victor odorata dormiat inque rosa.*
Victorem [61] *victus metuat: metus imperet illi,*
Membra nec in strata sternere discat humo.
Tempora dispensant usus, & tempora cultus:
Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aveis.
Lux est, taurus arat: nox est, requiescit: arator
Liberat emerito fervida colla jugo.
Conglaciantur aquæ: scopulis se condit hirundo,
Verberat [62] *egelidos garrula vere lacus.*

[53] Vetus scriptura multum discrepat: *Fudit Oenidas.* Scal. aliis legitur, *Eolidas.*

[54] Inepta lectio. Vetus membrana & libri antiquitus excusi: *Dicitur in nitidum procubuisse diem.* pernox stertuit ad clarum mane. Scal.

[55] Al. *amatori.*

[56] Τὸ *vina*, ὑπονοθεύει. Postea inveni in antiqua membrana: *signa referre*, id est: signifer Jovis esse. Et mallem: *Posset amaturo signa referre Iovi.* Quod signifer Jovis sit Ganymedes, docet doctissimus mythologus Fulgentius lib. 1. Scal.

[57] *Ganymedes.* Veteribus Latinis, *Catamitus.*

[58] Martialis. *Illæsum timidis unguibus hæsit onus.* Scaliger.

[59] Vetus membrana, *patiatur.* Lego *spatietur.* Scal.

[60] *Victor.* al. *victus.* sed male.

[61] Al. *Victor aret, victusque metat.* Sed Scaliger legit ex veteri scriptura & editione: *Victor amet, victusque metat.* quod sane postulat sententia.

[62] Virgilius. *Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo.* Suspicor tamen legendum esse: *Verberat egelido garrula vere lacus.* Ut intelligat lacunaria domorum. Ita Lucillius: *resultantes ædesque lacusque*: id est, ædes laqueatas, ἓν διὰ δυοῖν. Scaliger.

Cæsar

Cæsar amicus erat, poterat vixisse solute,
Quum jam Cæsar idem, quod cupiebat, erat.
Indulsit: merito. non est temerarius ille.
Vicimus: Augusto judice dignus erat.
Argo [63] *saxa pavens postquam Scylleia legit,*
Cyaneosque metus jam religanda ratis.
Viscera [64] *dissecti mutavit in arietis agnum*
[65] *AEtias, & succis omne-perita suis.*
His te, Mæcenas, juvenescere posse decebat.
Hæc utinam nobis Colchidos herba foret.
Redditur [66] *arboribus florens revirentibus ætas:*
Ergo [67] *non homini, quod fuit ante, redit.*
Vivacesque magis cervos decet esse paventeis,
Si quorum in torva cornua fronte rigent.
Vivere [68] *cornices multos dicuntur in annos:*
Quur nos angusta conditione sumus?

[63] *Argo*, al. *Ergo.* sed rectius illud.

[64] In quibusdam libris est: *Viscera dissecti mutaverat arietis agno.* At Scaliger: Legeram olim, inquit, *Viscera dissecti mutavit Aëtias agno Arietis: & succis &c.* quam quur rejiciam, caussæ non est. Tamen alia in membranis est scriptura: *Viscera directi mutaverat arietis agno Æëtis, fucis omne-perita suis.* Quæ quum aliquot maculis adspersa sit, ita eluenda mihi videtur: *Viscera directi mutaverat arietis agno Æëtis. fucis omne-perita suis.* *Æëtis* est αἰητὴς, & *Evenis*, εὐηνὶς Propertio. *Fucis*, θρόνοις. Τὰ θρόνα, sunt φάρμακα. Nam ita vocat Theocritus, quæ hic fuci dicuntur. *Omne-perita*, ὑφ' ἓν legendum. Est enim Græcorum πολυίδρις. *Directi*, id est, *dissecti.* ut *Elephantem dirigere* Plauto, *Gallinam dirigere* Nigidio, hoc est, dissecare. Hæc Scaliger. Vide in eandem fere sententiam plura apud Salmasium in Exercit. Plin. ad Solin. cap. 54.

[65] In quibusdam libris est *Ætas*, male. *Ætias* enim hic idem, quod *Aëtias*, Medea nempe, filia Æëtæ, Colchorum Regis.

[66] Hanc ipsam sententiam expressit Moschus Epicedio Bionis, & Horatius Carm. l. 4. Ode 7. Scal.

[67] Τὸ *ergo*, habet hic eum locum, quem apud Propertium: *Ergo Musarum & Sileni patris imago.* Plautus Casina: *Nempe tute dixeras arcessituram hinc esse uxorem meam ST. ergo arcessivisse, ait.* Item Bacchidibus: *Non placet hic mihi ornatus. P. Nemo ergo tibi apparavit.* Scal.

[68] Hoc primum dixisse Theophrastum morientem, & ea de re ad naturam conquestum, memoriæ proditum est. Scaliger. Seneca tamen Aristoteli tribuit lib. de brevit. vitæ cap. 1.

Pasci-

Pascitur[69] *Aurorae Tithonus nectare conjux:*
Atque ita jam tremulo nulla senecta nocet.
Vt tibi[70] *vita foret semper medicamine sacro,*
Te vellem Auroræ complacuisse virum.
Illius aptus eras croceo recubare cubili,
Et modo[71] *puniceo rore levare sitim.*
Illius aptus eras roseas[72] *tu jungere bigas,*
Tu[73] *dare purpurea lora regenda manu.*
Tu[74] *mulcere jubam, quum jam torsisset habenas*
Procedente die,[75] *respicientis equi.*
Quæsivere[76] *tori juvenem sic Hesperon illum:*
Quem nexum medio solvit in igne Venus:
Quem[77] *nunc in fuscis placida sub nocte nitentem*
Luciferum contra currere cernis equis.
Hic tibi Corycium,[78] *casias hic donat olentes,*
Hic è palmiferis balsama missa iugis.

[69] Melius vetus Scheda: *Nascitur*, hoc est, reficitur, renascitur. Scaliger.

[70] *Vita*, scil. *perpetua*. Malo tamen, *Vt tibi victa foret*: nempe senectus. Scal.

[71] Restitue ex veteri scriptura: *Et modo phœniceum rore lavante torum*. Scal.

[72] al. *adjungere*.

[73] al. *tum*: non adeo male.

[74] Alii iterum hic legunt, *Tùm*.

[75] *Respicientis*, scilicet ad versuram. Nam peracto actu suo, quod veteres *protelum* vocabant, equus ad versuram respicit, & hoc est finitum spatium. Putavi & aliquando legi posse, *respatiantis equi*, hoc est, qui finivit curriculum & spatium suum. *Spatiari* proprie est in stadio currere. Nam τὸ στάδιον Æoles vocabant σπάδιον, unde Latini, qui multum Æoles imitantur, fecerunt *spatium* suum. Scal.

[76] Vetus scriptura. *Quæsivere chori*. Nempe stellarum chori. Nam & ita Varro dixit, *Cæli choreas astricas*. Totum distichon ita legimus: *Quæsivere chori juvenem sic Hesperon olim, Quem necdum medio solvit in igne Venus*. Nam Vesperum citissime absolvere cursum, notissimum est. Iccirco Venus ejus amore capta, citissime solvit eum in medio cursu: quum interim chorus astrorum ipsum, qui princeps chori est, & primus apparet, desideret. Scaliger.

[77] Est apostrophe ad Mæcenatem, cælo jam receptum. Quem tu (hæc enim est sententia) cælo receptus contrario cursu ire vides. alio nomine, nempe Luciferi. Scal.

[78] In quibusdam codicibus est *castas*. male.

Nunc

Nunc pretium candoris habes, nunc redditus umbris
Te sumus obliti decubuisse senem.
Ter Pylium flevere sui, ter Nestora carum:
Dicebant[79] *tamen hunc non satis esse senem.*
Nestoris annosi vixisses secula, si me
Dispensata tibi starnina mente forent.
Nunc[80] *ego quid possum? Tellus levis ossa teneto,*
Pendula librato pondus & ipsa tuum.
Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores:
Non unquam sitiens florida semper eris.

[79] al. *Dicebantque tamen, non &c.*

[80] Scribe: *Nunc ego, quod possum, Tellus levis ossa teneto*: hoc est, nihil aliud in præsentia tibi possum, quam ut precer hoc; *Terram tibi levem esse*. Ille erat semper ὀφημιζόμενος in mortuos. Scal.

ELEGIA SECVNDA.

Verba[81] suprema Mæcenatis.

SIC est Mæcenas fato veniente loquutus,
Frigidus & jam jam quum moriturus erat.
Mene, inquit, juvenis[82] *primævi,*[83] *Iupiter! ante*
Augustam Bruti non cecidisse fidem?
Pectore maturo fuerat puer, integer ævo,
Et[84] *magnum Magni Cæsaris illud opus.*

[81] Elegia hæc procul dubio, inquit Scaliger, est alia à superiori, & inscribenda mihi videtur, Verba suprema Mæcenatis. Quod enim ejusdem auctoris sit, & de eadem re, propterea cum superiore conjuncta.

[82] *Primævi*, id est, *adolescentis*. Vide Barthium Notis ad Numatiani Itiner. lib. 1. & Animadv. ad Claudiani lib. 1. de laud. Stilic. vers. 51. & quæ nos notamus ad Cælii Aurel. Acut. lib. 3. c. 8.

[83] Non *turpiter*, sed *Iupiter* habet membrana. Id quod verum puto, estque ἀλόγιστον dictum. Catullus: *Doctis Iupiter & laboriosis!* Idem. *Iupiter! ut tristi lumina sæpe manu*. Scaliger: quem vide etiam Castigat. ad Catullum.

[84] Educavit enim & sustulit Brutum C. Cæsar, quem etiam in bonis suis hæredem scripserat, habuitque filii loco, adeo ut quum in Senatu trucidaretur ab homine ingrato, ad eum dixerit, καὶ σὺ τέκνον. Scal.

Discedo,

Discedo,[86] *vellemque prius. non omnia dixit,*
Inciditque pudor, quæ prope dixit amor.
Sed[87] *manifestus erat moriens: quærebat*[88] *amatæ*
Coniugis amplexus, oscula, verba, manus.
Si tamen hoc satis est, vixi te,[89] *Cæsar, amico:*
Et morior, dixit, dum moriorque,[90] *satis.*
Mollibus ex oculis aliquis[91] *tibi procidet humor,*
Quum dicar subita voce[92] *fuisse tibi.*
Hoc[93] *mihi contingat: iaceam tellure sub æqua:*
Nec tamen hoc ultra me[94] *potuisse velim.*
Sed meminisse velim. vivam sermonibus: illic
Semper ero: semper si meminisse voles.
Et decet, & certe vivam tibi semper[95] *amicus:*
Nec[96] *tibi, qui moritur, desinit esse tuus.*
Ipse ego quidquid ero, cineres interque favillas,
Tunc[97] *quoque non potero non memor esse tui.*
Exemplum[98] *vixi propter te molle beate:*

[85] Ita idem Pedo ad Liviam, seipsum quasi imitans: *Cæsaris illud opus, velutè pars altera vestri Occidit.*

[86] Melius vetus scriptura & editio. *Dissidio, vellemque prius.* Est ἀποσιώπησις. Quare jungit: *non omnia dixit.* Utinam, inquit, prius discessissem, quam illud dissidium gliscere incepisset. *Vellem mori,* ἐλληνικῶς dixit, pro utinam mortuus fuissem. ὥς᾽ ὄφελον θανεῖν. Scal.

[87] Purus putus est helleniſmus: ἀλλὰ δῆλος ἦν λιποψυχῶν. Scal. Adde ex Tacito Ann. lib. 15. cap. 54. *Atque ipse mœstus & magnæ cogitationis manifestus erat.*

[88] *Vxoris*, id est, *Terentiæ.* Vide in Mæcen. cap. 28.

[89] *Cæsar.* al. *Cæsare.* minus bene.

[90] Τὸ *satis*, conclamatum est. Plautus Captivis. *Liber captivos fera consimilis est: Semet fugiendi si data est occasio. Satis est: nunquam postilla possis prendere.* Scal.

[91] *Molles oculos* dixit pro amatoriis. Barthius Animadv. ad Claudiani Nuptias Honorii & Mariæ versu 5. pro *tibi procidet*, al. legitur: *procedet & humor.*

[92] *fuisse tibi:* hoc est tuus fuisse. Val. Cato in Diris. *Et vobis nunc est, mea quæ fuit ante voluptas.* Item: *Mea quod formosa puella Est vobis.* Scal.

[93] al. *Hoc tibi.* malè.

[94] Vetus scriptura: *te potuisse.* Hoc est, nec aliud à te peto, quam ut per te liceat mihi jacere sub terra æqua. Scal.

[95] *amicus.* al. *amore.* non sat benè.

[96] *Nec tibi.* Barthius legit, *sibi* Adverſ. lib. 23. cap. 17.

Vnus

Vnus Mæcenas *teque ego propter eram.*
Arbiter ipse[99] *fui, volui quod contigit esse:*
Pectus eram vere pectoris ipse tui.
Vive diu, mi care senex: pete[100] *sidera sero.*
Est opus hoc terris: te quoque velle decet.
Et tibi[101] *succrescant iuvenes*[102] *bis Cæsare digni,*
Et tradant[103] *porro Cæsaris*[104] *omne genus*
Et[105] *secura tibi quum primum Livia coniux*
Expleat[106] *amissi munera*[107] *rapta gener.*
Quum Deus in terris Divis insignis avitis,
Te Venus in patrio collocet[108] *alma sinu.*

[97] *Tunc quoque.* al. *Tunc ego.* neque hoc bene.

[98] Putarem legendum esse: *Exemplum vixi propter te nobile, & ob te Vnus Mæcenas, teque ego propter eram.* Scal.

[99] *ipse fui.* al. *ipse tui.*

[100] Ovidius lib. 1. Trist. El. 1. *Optavi peteres cælestia gaudia tarde.* Horatius. *Serus in cælum redeas.*

[101] Ita Tibullus: *At tibi succrescat proles, quæ facta parentis Augeat, & circum stet veneranda senem.* Metaphora à stolonibus est, seu pullis arborum, earum stipitibus adnascentium. Hoc enim est subcrescere & suboleſcere. unde *soboles* παρὰ τὸ φύεσθαι. Scal.

[102] C. & L. Agrippa, adoptati ab Augusto. *Bis Cæsare dignos* dicit, primum quod Agrippæ, generi Augusti filii: deinde quod ab Augusto adoptati. Scal.

[103] Sanè, si lego, *trudant.* ut perſistat in metaphora subcrescendi. Nam *porro trudi* dicuntur gemmæ arborum & stolones, quum incipiunt existere ex cortice. Scal.

[104] *omne.* al. *usque.*

[105] Vetus editio: *Sic secura tibi.* Alia: *Et tibi securo supremum Livia conjux.* *Supremum* est εἰς τέλος.

[106] Expleat defectum amissi Marcelli Agrippa, cujus filios adoptasti. Manifesto ergo intelligit filios Agrippæ, qui adoptati fuerant ab Augusto & Cæsares declarati, ut ait Tacitus. Et Ovidius de iisdem intellexit: *Cæsare victuro, Cæsaribusque precor.* Quare errat bonus Domitius Calderinus, qui de Tiberio & Germanico intelligendum putat. Scal.

[107] *rapta.* al. *rupta.* minus rectè.

[108] al. *ipsa.* sed melius *alma.*

FINIS.

IN-

INDEX RERVM ET VERBORUM.

In eo numerus cum commate caput libelli notat, numerus cum puncto numerum capitis marginalem: litera P. Notas in Epicedium Pedonis.

A.

Accingere se operi. 19,11.
Acron, Horatii interpres, quis. 20,3.
Actiaca pugna. 12,24.
Adriani Turnebi laus. 3,19.
Æmulationes potentum. 10,3.
Æneidomastix, liber. 24,12.
Agrippa homo ignobilis. 15,12. Iuliâ Augusti filiam ducit. 9,7.15,11.14. Mæcenati adjungitur in præfectura urbis. 13,2. Vipsanii cognomen abominatur. 3,9. ejus obitus. 16,14.
Alcibiadis vitia & virtutes. 2,12.13.
Alexis Mæcenatis deliciæ. 21,20. Virgilio donatus. ibid.22.
Alexandri ab Alexandro fides suspecta. 22,25.
Ambientium honores miseria. 6,25.
Amici primi, secundi. 6,9. caute eligendi. 17,3. electi retinendi. ib.7.12.
Amicitia utilitate probantur. 9,3. Principum quales. ib.13.
Animorum sympathia, antipathiæ. 16,21.
Animus contemptor & superbia nobilium. 6,20.
Annæus Seneca Notas digessit. 26,5. Anuli signatorii à Principe traditi honor. 13,9.
Antonii Mureti error. 3,8.15.
Antonii Triumviri philarchia. 4,10.
Antonius Musa, Augusti libertus. 3,18. ejus laus & honores. 15,7. liber suppositicius. 18.24.
Aquila, Mæcenatis libertus. 3,15.26,2.
Aquilii. 3,8.15.
Argentatus. P.7.
Arist. de Institutis Tyrrhenorum liber. 2,5.
Arius philosophus, Augusti familiaris. 6,4.18,6. an duo ejus nominis. ib.7.
Asinina carnis esus. 26,15.16.
Asinius Pollio. 18,10.
Astrum nascens, natale. 4,9.
Attonare. 23,24.
Auctor Vitæ Virgilii. 14,24.
Auctor Panegyrici in Pisonem. 17,12.
Augusti epistola ad Mæcenatem. 2,22.23,9. ab amicis reprehensi patientia. 7,11. infelicitas. 25,13. triumphus triplex. 14,11. in filiæ adulteriis coercendis præcipitantia. 7,13.14. philarchia. 10,4. super Mæcenate mortuo desiderium. 7,12, invalitudo. 15,6. in Pantomimos favor. 22,27.
Augustus D. Iulii hæres ex dodrante. 8,1. Antonii testamentum in Senatum profert. 12,3. ut adulteria sua excusarit. 17,5. Commentaria sua Mæcenati inscripsit. 18,19. omnem societatem cum Antonio abrumpit. 11,24. de reddenda Rep. cogitat. 14,13.18. Sphynge signavit & Alex. M. 13,5.6. ager decubuit in domo Mæcenatis. 28,2. eique moriturο adfuit. 16,24.
Aulæ inconstantia. 16,17.
Aureliani Imp. laus. 1,22.

B.

Babylonii numeri. 4,8.
Bathyllus Pantomimus. 21,9.22,26.
Bellorum suscitabula. 9,17.
Bellum Perusinum. 8,17.
Beryllus Porsenæ. 2,23.
Bonæ artes homines humanos reddunt. 7,2.
Boni hominis laudatio ex Ennio. 5,37.
Brundusinum fœdus. 9,11.
Bruti Cassiique mors. 8,13.
Βωμολοχία. 5,35.

C.

Cacozelia. 23,8.
Cæcina Volturenus. 2,12.
Candoris laudatio. 5,30.
Cannensis clades. 1,7.
Caput palliolatum. 19,16.
Caroli Carassæ cædes. 5,44.
Cassius Hemina an ad Mæcenatem quid scripserit. 18,17.18.
Casparis Barthii laus.
Καλαγλώττισμα. 23,19.
Catilinæ simulatio. 5,31.
Catonis laus. 18,28.
Catulli obitus. 14,1.
Cereris fila, pro farina. 23,21.
Christ. Becmani de orthographia & etymo nominis Mæcenatis opinio. 4,14.
Χωνευτὴς, conflator. 21,4.
Cilinus, pro Cilnio. 3,24.25.
Cilnii. 3,22.
Cilnium genus. 3,14.21.
Cincia familia. 3,5.
Cinctura, quale olim signum. 19,12.
Cipius, leno uxoris apud Festum. 21,25. an nomen fictum. ib.26.
Claudii Imp. Tyrrhenica. 2,6.
Cleopatræ fuga ad Actium. 12,24. mors. 14,2.
Coccejus & ejus laus 9,9.17.
Conflatores. 21,4.
Cognomina Romanorum unde. 3,12.
Colubrari. 23,18.
Columbari. ib.16.
Conia, ciconia. 25,6.
Conscientiæ bonæ fructus. 6,35.
Consiliariorum in Principibus monendis cautela. 7,9.10.
Conspirationes in Augustum multæ. 11,6.
Continuus Principis. 6,8.
Convitia spreta exolescunt. 20,13.14.
Convivium natalitium. 4,4
Copa Virgilii an Mæcenati inscripta. 18,4.
Cornua cervorum ab Andronico Comneno ubi & quare suspensa. 21,29.
Cornuti. ib.28.
Cornua circa Solem. 8,3.
Corvinus Messalla præfectus urbi ἐφήμερος. 16.10,11.
Κεχοδίζω. P.8.
Crux acuta Mæcenati qua. 24,13.
Custos urbis ebrius, quis. 11,16.

D.

Dactylioglyphi. 21,6.
Dæcenas. 27,14.
Decus in pace, præsidium in bello. 17,22.
Delphinus in lacu Lucrino. 25,16.17.
Demetrii, liberti Pompeiani mollities. 19,17.20,16.
Democedes Medicus, Darii ὁμοτράπεζος. 6,6.
Dextera Principis. 6,8.
Dionys. Lambini error. 3,4.9.
Dirigere. P.11.
Doctrinæ effectus. 7,2.
Domitius Marsus Mæcenatis amicus. 18,3.
Donatus vir doctissimus. 14,26.

E.

Echo, imago jocosa. 7,24.
Educatio bona, gradus ad virtutem. 5,1. juventutis Augusto commendata. ib.16.
Elbius, Rex Etruriæ. 2,8.
Eloquentia bonarum artium princeps. 5,17.
Ennius Notas literarum invenit. 26,3. ejus tumulus. 29,10.
Epicurea secta Romæ florens. 5,7.
Epicuri doctrina Senecæ laudata. 5,8. de beatitudine in tormentis sententia. 24,23.
Epulæ divinæ, sacratissimæ, felices, quæ. 6,5.
Ergo, peculiari usu sumptum. P.12.
Esquiliæ. 28,9.
Etruria Tyrrhenorum colonia. 2,16. ejus Regum familia laus. ib.5.
Etrusci ab initio Lydi. 2,16.
Εὐτραπελος. 5,35.

F.

Facetus quis. 5,35.
Facundi hominis laudatio restricta. 5,28

Fanari. 23,20.
Fannii Capionis conspiratio in Augustum. 15,8.9.
Febris natali semper die repetens. 29,3. *caprarum perpetua. ib.* 5. *quartana diuturna. ib.* 4. *tertiana diuturna. ib. perpetua Macenatis.* ib. 2.
Festinatione quando nihil tutius. 14, 6.7.
Flaturarii sigilliarii. 21,4.6.
Floralibus an natus Macenas. 4,6.
Fortuna filius. 4,6.
Fortuna lubricitas. 16,17.
Frid. Sylburgii laus. 26,9.
Frigus principum quid. 6,7. *infamiliarissimos unde.* 16,19.20.
Fuci. P.7.
Fundanius Macenatis amicus. 18,16.
Funeris cultus inanis. 24,4.5.
Furnius & Fuscus Aristius, Macenatis amici. 18,10.

G.

Galba, uxoris leno. 21,24.
Galea poculum militum. P.4.
Ganymedes signifer Iovis. P.6.
Gariopontus de Dynamidiis. 18,25.
Generis nobilitas an æstimanda. 2, 2.3.
Genitura Macenatis. 4,9.
Genucii Cipi historia. 21,27.
Ger. Ioh. Vossii laus. 18,19.
Georgii Remi laus. 18,7.
Georgii Calixti laus. 24,15.
Gigeria. 24,2.

H.

Habitus Medicorum. 19,11. *discinctus. ibid.* 13.
Halo. 8,3.
Harbona. 18,27.
Hartvvigi à Parckentin laus. 3,45.
Helii. 3,6.12.
Heliodorus Rhetor Macenatis amicus. 18,10.
Hippocratis Epistola supposititia. 18,22.
Hominum vitia ut notanda. 19,1.2.
Hominum nemo felix. 25,13.
Homo insomnis solo ære vivens. 29,6.
Honores mutant mores. 6,23.
Hora natalis, genitalis. 4,9.
Horatii iter Brundusinum. 9. 15. *Carmen seculare.* 16, 2. *Epistola supposititia.* 18, 21. *votum de obitu suo.* 29,21. *obitus.* 25,8. 29,22. *tumulus. ib.* 27.
Horatius Augusti ὁμοτράπεζος. 6.7. *in bello captus & Augusto insinuatus.* 8, 19. 17,19. *ex Censorino explicatus.* 4, 5. *agro Sabino donatus.* 17,20. *an Macenatem traduxerit in carmine.* 20,3.15.
Horoscopus in genitura Macenatis. 4,9.
Hugonis Grotii laus. 4,27.
Humanæ vitæ nulla felicitas solida. 25,13.

I.

Iacobi Stolterfothi laus. 5,8.
Iani Gruteri laus. 19,17.
Idus Apriles, Macenatis natalis. 4,4.
Inclinatio Principum in certos homines unde. 16,19.
Inclinatio animorum occulta. 19,21.
Insomnia triennalis Macenatis. 29,2.
Insomnium hominum exempla. ib.
Investiare. 28,22.
Invidia altissimis adhæret. 19,7.
Ioannis Kirchmanni laus. 21,7.
Iortius, Macenatis Parasitus. 21,16. *an potius Porcius. ibid.*
Iovis salutaris fulgor. 4,9.
Iulia Augusti filia Agrippæ uxor. 15,11. *de ea excusatus Macenas.* 22,33.
Iulii Cæsaris prudentia. 7,14. *Rempub. reddendi animus.* 14,13. *cædes.* 8,2.
Iulius Cæsar male præcinctus puer. 19.14. *ejus gemmarum studium.* 21,2. *ut in amicos se gesserit.* 17,2.
Iul. Cæs. Scaligeri laus. 4,6.
Iusti Lipsi laus. 3,20.
Iustiniani Imp. simulatio. 3,35.

L.

Labieni IC. responsum. 21,11.
Lalisiones. 26,13.
Lars. 2,23.
Laser Aretinum. 2,22.3.14.
Latus clavus. 6,29.
Legionum varietas. 2,19.
Legiuncula. ibid.
Le-

Lepidus Iunior in Augustum conspirat. 14,5.8. *opprimitur à Macenate. ib.*
Liberalitas qualis esse debet. 5,27.
Liburnæ naves & earum usus. 12,11.12. *iis præfectus Macenas.* 12,13.
Liber de Dynamidiis ad Macenatem. 18,25
Lilii Gyraldi laus. 3,12.
Lycymnia Horatii, an Terentia Macenatis. 27,8.

M.

Mæcena, Macena, loci nomen. 4,26. 26,20.
Macenas ad Cannas casus. 1,6. *Helius.* 1,6. 3,11. *Melissus.* 1,13.3,12. *Messius.* 1,12. 3,11. *Olympicus.* 1,15. *Prætorius.* 1,16. 4,15. *Scriba.* 1,9.
Macenas Lydorum nobilissimus. 2,15. *eques.* 3,2. *populo Etruscus, domo Aretinus, familia Cilnius.* 3,24. *Augusti συμβιωτὴς.* 6,4 *fortunæ filius.* 6,12. *Horatium Augusto commendat.* 8,15. *Augustum Antonio reconciliat.* 9,10. *Augusti dextera, obses.* 11,16. *Cancellarius.* 13,11. *vigil & custos urbis.* 11,16. *anguste clavo usus.* 6,18. *rana signavit.* 13,12. *Lepidum oppvimit.* 14,7. *Horatium amicum legit.* 17,18. *& agro Sabino donavit. ib.* 19. *asinarum pullos in dapes assumpsit.* 26,11. *seditiones Romæ punit.* 11,14. *Augusto dissuadet Remp. tradere.* 14,20. *uxori enunciat secretum de conspiratione Murenæ.* 15,9. *balneas calidas primum in Vrbe instituit.* 26,7. *discincti vocabulum pro tessera dedit.* 22,24. *Augusto propter uxorem infensus.* 27,21. *Italiæ & Vrbi præfectus.* 11,11. *Notas ad scribendum invenit.* 3,15. 26,2. *an ex familia Aquiliorum.* 3,8. *aut Cilniorum vel Heliorum. ib.* 5.6.7.
Macenas ebur ex Etruria. 3,24. *laser Aretinum, margaritum Tyberinum. ib.*
Macenas ex Regum Tyrrhenorum prosapia. 2,4.14. *Epicureæ sectæ addictus.* 5, 6.8. *Augusti in ira moderator.* 7,7. *pila ludere solitus.* 5,38. *insomnia remedium ex Musica quæsivit.* 29,8. *privatus.* 15,4. *ἄναξ.* 27,22. *à Virgilio hæres scriptus.* 16,2. *Virgilio in altercatione litis agrariæ adfuit.* 17,13. *ejus Georgica recitavit. ib. amicos cum delectu legit.* 17,11. *an prosa scripserit.* 25,10. *an de animalibus & gemmis. ib.* 14,19. *Et de vita Augusti. ib.* 13. *Augustum scripsit hæredem.* 29,24.
Macenas, vocabulum Etruscum. Latina civitate donatum. 4,19. *à loco dictum. ib. ejus orthographia. ib* 12. *originatio Græca. ib.* 14. *Chaldaica. ib.*16.
Macenatiana vina. 26,20. *turris.* 28,21.
Macenates plures. 1,5.
Macenatis, nominandi casu. 4,19.
Macenati inscripti libri. 18,12. *à populo datus plausus.* 7,21. *ab Augusto traditus annulus.* 13,4.8.
Macenatis genus. 2,4. *progenitores. ib.* 8. *avus paternus & maternus Legionum ductores.* 2,18. *dies natalis.* 4,4. *thema genethliacum. ib.*9.
Macenatis nominis abusus. 18,33.
Macenatis & Augusti animorum Sympathia. 16,22.
Macenatis prænomen, nomen, cognomen. 4,29. *amici.* 17,12. *delicia.* 19,19. *habitus.* 19,10. 20,1,3. *otium peregrinum.* 15,2. *navi.* 19,9. *vita familiaris.* 17,1.
Macenatis in Augusto corripiendo libertas. 7,7. *oratio dissluens.* 5,20. 23,1. *amor in Bathyllum.* 21,8.10. *κακοζηλία.* 23,6.8. *domus.* 28,1. *febris perpetua.* 29,1.2. *gemmarum studium.* 21,1. *horti.* 28,7. *insomnia triennalis.* 29,2. 6. *mensa angularis & parasitica.* 21,18. 19. *mollities in stilo.* 5,20. 23,1. *verba ultima ad Augustum.* 29,19. *myrobrecheis cincinni.* 23,6. *valitudo.* 29,1 *obitus. ib.* 18. *uxor Terentia.* 27,1.
Macenatis ætas. 29,16. *armorum studium.* 5,12. *candor. ib.* 30. *contemptus ambitus.* 6,20. *doctrina.* 5,3. *educatio. ib.*1. *hilaritas.* 5,35. *frugalitas. ib.* 26. *gratia apud omnes.* 7,19. *liberalitas.* 5,27. *literarum studium.* 5,3. *moderatio in bono-*

honoribus & potentia. 6, 2. 4. *mansuetudo.* 7, 3. *modestia.* 6, 20. *pietas.* 5, 24. *poëtices studium. ib.* 21. *pauciloquium. ib.* 28. *philosophiæ studium. ib.* 5. *res pace & bello gestæ.* 8, 1. *taciturnitas.* 6, 15. *temperantia.* 5, 25. *vigilantia.* 14, 6. *virtus in bellis.* 8, 7. 14. 19. *in pugna Actiaca.* 12. 15. 25.
Mæcenatis inventa. 26, 1. *parasiti.* 21, 12. *merita in Augustum.* 6, 14. *in reconciliandis animis Principum integritas.* 9, 17. *de juventute educanda consilium.* 5, 16. *encomium ex Propertio.* 8, 8. *vitia excusantur & mollities stili.* 22, 11. 23. 11.
Mæcenatis frigus ab Augusto. 16. 16. *donaria Augusto facta. ibid.* 26. *de Agrippa consilium.* 15, 12. *& de præfecto urbis constituendo.* 16, 9. *ejus domus asylum literatorum.* 18, 11. *nomen in proverbium abiit. ib.* 30.
Mæcenatis scripta. 23, 13. *Carminum libri.* 24, 1. *de Cultu, liber.* 23, 13. *Dialogi.* 25, 18. *Octavia Tragœdia.* 24, 1. *Prometheus.* 23, 23. *Oratio de non reddenda Repub.* 25, 23. *Versus Galliambici & Ithyphallici.* 24, 7. 11.
Mæcia tribus. 4, 21.
Mæcinnas. *ibid.* 15.
Malchinus, Malthinus. 20, 3. 4.
Malchio, Maltha, Malthon. ib. 8.
Malum nascens facile opprimitur. 14, 6.
Margarita, plurali numero. 25, 5.
Margaritum Tyberinum. 2, 22.
Marmora monumenta. P. 3.
Matthæi Martinii laus. 4, 17. *sententia de etymo nominis Mæcenatis.* 4, 16.
Mecænas, Mecœnas. ib. 14.
Medicorum immunitates. 5, 7.
Melissus Mæcenatis amicus. 18, 8.
Menippus Mæcenatis avus. 2, 13.
Mensa veterum rotunda. 21, 18.
Michaëlis Montani educatio. 29, 13.
Modestiæ laus. 6, 20.
Molles oculi, amatorii. P. 10.
Monarchia aliis Rerump. formis antefereenda. 14, 20.
Monumentorum & Inscriptionum antiquarum fides. 4, 15.
Musica animis desæcandis laudata. 29, 10. *ejus usus philosophis celebratus. ib.*
Mutinense bellum. 8, 6.

N.

Natalis dies an ex vita & rebus gestis investigari queat. 4, 2.
Natalis patronorum sanctior natali proprio. ib. 5.
Nero an incendium Romæ spectarit ex turri Mæcenatia. 28, 25.
Nexi, pro nexui. 24. 3.
Ninnius. 24, 26.
Nizolius, Ciceronis simia. 29, 7.
Nobilitatis commune malum, contemptor animus. 6, 20.
Notæ veterũ. 26, 3. *earũ inventores. ib.* 4. 5.
Notarii. 26, 3.
Novus, pro insolito, P. 5.
Numen Mæcenatis, Augustus. 6, 11.

O.

Objurgare colaphis. 25, 21.
Obstrigilli. P. 5.
Octaviam quur duxerit Antonius. 9, 4. *Augusti sororem ducit Antonius.* 9, 5. 14. *& repudiat.* 12, 6.
Ὁμοτραπέζοι principum. 6, 5.
Omneperitus. P. 7.
Onagri silvestres in deliciis. 26, 13.
Orationis luxuria, argumentum luxuriæ in Rep. 23, 12.
Originationum conjectura fallaces. 4, 15.
Orthographia nominis Mæcenatis. ib. 13.
Otium honestum. 15, 4.
Ovidius an noverit Mæcenatem. 22. 33.

P.

Pantomimica saltatio quando cœperit. 22, 27.
Parasiti Mæcenatis. 21, 12.
Pauciloquium laudatum. 5, 28.
Paulli Manutii error. 3, 5. 10.
Pax Orbi reddita per Augustum. 14. 12.
Pedo aliter lectus. 5, 13.
Περιστρωμα, osculi genus. 23, 17.
Percutere, verbum textorium. P. 8.
Persarum Regem suos honorandi mos. 6, 6.
Philargyrus Samius Notarum inventor. 26, 4.
Philippense bellum. 8, 6.
Philosophia ut Principi conveniat. 5, 11.
Pilæ parvæ commoda. 5, 3.
Piso Cossus præfectus Vrbis ebrius. 11, 19.
Platonis scitum de Rep. à philosophis gubernanda. 5. 10.
Plausus pop. Rom. in bene merentes. 7, 22. *Mæcenati datus. ib.* 21.
Plinius aliter lectus. 2, 13.
Plotius Tucca Mæcenatis amicus. 18, 10.
Poëseos laus. 5, 22.
Pomosus. P. 3.
Pomponius Sabinus refellitur. 27, 24.
Porcii Catonis laus. 18, 28.
Porcius, Mæcenatis parasitus. 21, 14.
Porsena, Lars Etruriæ. 2, 23.
Potentia non abutendum. 7, 5.
Præfecti Vrbis officium. 11, 17.
Præfectus Vrbis ex Consularibus. 16, 11.
Priapeiorum auctores. 28, 18.
Priapi sacellum in hortis Mæcenatis. 28, 17.
Primævus. P. 9.
Principiis obstandum. 14, 6.
Principibus donaria offerri solita. 16, 27.
Principum animi inperscrutabiles. 14, 15. *inclinatio in certos homines, & ejus caussa.* 16, 19. *in matrimoniis contrahendis scopus.* 9, 4.
Proculeius Terentiæ Mæcenatis frater. 15, 8. *ejus liberalitas in fratres.* 27, 4.
Propertius Mæcenatis cliens. 18, 1.
Protelum. P. 8.
Purpureus, pro pulchro. P. 4.
Puticuli. 28, 13.
Pylades Pantomimus. 21. 9. *ejus ad Augustum dictum liberum.* 22, 29.

Q.

Q. Cæcilii Isidori divitiæ. 29, 22.

R.

Rana in sigillo Mæcenatis. 13. 13. *de ea judicium Paradini & Pierii Valeriani. ib.* 16, 17.
Regnandi libido. 10, 1.
Reineri Reineccii laus. 2, 5.
Rempub. reddere, quid. 14, 14.
Rerum secundarum effectus. 6, 23.
Romanorum mos in assumendis nominibus. 3, 12.
Romuli dies natalis, ex rebus gestis & vita investigatus. 4, 3.
Rostra navium Antonii D. Iulio suspensa. 12, 17.
Rufella, ὑποκοριστικὸν à Rufa. 27, 19.
Rusticitas quid. 5, 35.

S.

Sabini Tironis Cepurica ad Mæcenatem. 18, 15.
Satis! conclamatum est. P. 10.
Saturni stella infesta. 4, 9.
Scribæ, qui olim. 1, 10.
Scientia artis Chaldæorum. 4, 8.
Scipionis vitia & virtutes. 22, 14.
Scipio, Terentiæ Mæcenatis uxoris frater. 27, 5.
Scribonia Augusti uxor. 9, 2. *repudiata. ib.* 7.
Seneca in Mæcenatem iniquior. 19, 18.
Seneca laus. 22, 3. *assentatio.* 7, 18. *objecta crimina.* 22, 4. *in Mæcenatem calumnia.* 7, 17.
Sermo, quid. 5, 6.
Sermo nimius. ib. 29.
Sermo indicium animi. 23, 12.
Servi cognomen non habuere. 3, 16. *manumissi in nomen patroni transivere. ib.* 17.
Servilius Balathro, Mæcenatis parasitus. 21, 15.
Servorum conditio apud Romanos. 3, 16.
Silius Italicus aliter lectus. 3, 24.
Simulatio principum. 5, 32.
Soboles, σύμφυάδες. P. 11.
Sorani Ephesii ætas. 18, 23. *Isagoge ad Mæcenatem supposititia. ib.*
Σπαθεῖν. P. 5.
Spanum, pro Hispanum. 25, 6.
Spatium, unde. P. 8.
Stiliconis electio amicorum. 17, 11.
Subcensor. 14, 24.
Suidas aliter lectus. 21, 16.
Sulla Remp. reddidit. 14, 1.

Supini, ὑψαύχενες. 20,20.
Surge carnifex: Mæcenatis ad Augustum dictum. 7,8.
Συμβιοταὶ *principum.* 6,5.

T.

Tacitus aliter lectus. 3,23.
Τὰ ἔνδον & ἔξω *in hominis vita.* 17,1.
Tangere latus. P. 3.
Tarentinum fœdus. 10,9.
Tarutius Mathematicus. 4,2.
Terentia Mæcenatis uxor. 27, . *mulier morosa, sed formosa. ib.* 8. *ejus litigia cum marito & divortia. ib.* 11. *cum Augusto amores.* ib.20.
Terentilla, ὑποκοριστικὸν *à Terentia* 27,19
Tertius Persannius, Notarum inventor. 26, 4.
Thema genethliacon Mæcenatis. 4,9.
Thrasyllus Rhodius Mathematicus. 4,8.
Θρόνα. P. 7.
Tiberii Imp. liberalitas laudata. 5, 27. *simulatio. ib.* 32. *in Mæcenatis hortos secessio.* 28,19.
Tiberius antiquarius. 23,5.
Triennii silentium in sanguinis sputo. 1, 12.
Trimalcio. 20,9.
Tullius Tiro Notas præpositionum invenit. 26,4.
Turris Mæcenatica. 28,21. *ejus rudera. ib.* 28.
Tuscus amnis pro Tyberi. 2, 20.
Tybris Lydius, Tuscus. 2, 17. *Mæcenatis paternum flumen.* ib.21.
Tyrrhenus rex Etruriæ. 2,9.

V.

Valerius Probus de nomine Mæcenatis. 4, 19.
Valerius Proculus, Virgilii frater. 16,2.
Varices, quid. 5,42.
Varicosi, an sani. 5, 42.
Varius Mæcenatis amicus. 18,10.
Varro Romanorum doctissimus. 4, 20. *ex Plinio illustratus.* ib.23.
Vellem mori! P.10.
Vibidius Mæcenatis parasitus. 21,15.
Victorum remissiones post debellata bella. 22, 19.
Virgilius hæredes scripsit Augustum & Mæcenatem. 16,2.
Virorum illustrium vitas scribendi mos.
Virtus sibi ipsi pretium. 1,26.
Visci fratres Mæcenatis amici. 18,10.
Vita mortuorum sita in memoria vivorum. 1,25.
Vitarum scriptores multi. 1,4.
Vitellii Imp. liberalitas culpata. 5,27.
Vitia aliorum ut notanda. 22, 2. *eo conspectiora, quo homines majores.* ib.32.
Vitiis nemo caret. 19,4.
Vmbræ, parasiti. 21,14.
Volturenus rex Etruriæ. 2,9.
Vomere, singulari significatu. P.2.
Vranius philosophus Chosrois regis ὁμοτράπεζος. 6,6.

Y.

Ὑψαύχενες, *supini.* 20,20.

FINIS.

(4838) 5

SEPTUAGINTA
Graves & arduæ Rationes,
ob quas
REGEM POLONIAE
Nec non Senatores & Nobilitatem Regni Defensioni, in Hungaria, Bohemia, & alibi locorum inevitabili necessitate susceptæ, non adversari, neq; committere decet, ut huic negotio implicentur.

Quarum nonnullæ ad Regem à Dn. Generali missæ,
Postea verò à Generoso quodam, Deo, Regi, & Patriæ fideli Polono, (D. R.) pacis avido, auctæ,
&, informando unicuiq;, Germanica & Latina lingva publicatæ sunt.

Thucyd. Lib. 2.
Stultum est movere bellum, si florente statu liceat retinere pacem.

(Posonii 1619)